
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
20 A
65



HENRICI BOCERI, IVRIS-CONSULTI, ET IN INCLYTA TUBINGENSI ACADEMIA antecessoris

Tractatus feudales duo:

I.

DE SUBSTANTIA, NATURA ET ACCIDENTE FEUDI:

II.

DE QVALITATE, ET DIFFERENtia feudorum.

IN QVO UTROQUE LIBELLO, NON MODÒ AMBÆ MATERIÆ sigillatim nervosè declarantur; sed & variæ, elegantes, & usu frequentes juris feudalis quæstiones commodè proponuntur, & diligenter explicantur.



TUBINGÆ,


Typis JOHAN. ALEXANDRI CELLII.

ANNO M. DC. XI.

IMAGO
NOBILIS ET CONSVLTISS. VIRI.
DOMINI HENRICI BOCERI, V. I. D.
Inclyta in Academia Tubingensi Antecessoris, &c.



HENRICI *vultum præsens pictura* BOCERI
Exprimit: ast mentem publica scripta probant.



IVRISPRV-DENTIAE STVDIOSIS ACADEMIÆ TVbingensis SALUTEM.



Nnis ab hinc decem, adoleſcentes generis ſplendore, virtutum laude, & alacri in jurisprudentia recolenda ſtudio conſpicui; amici humaniſsimi, Cariſsimi: duos hoſce Tractatus; unum de ſubſtantia, natura, & accidente feudi: Alterum de qualitate, & differentia feudorum; operâ cõfeci provida ſolertique.

 Cum

Cum autem utrumque, eo ex tempore ab auditoribus meis exſcriptum, veniſſe in multorum manus compererim, quibus hic labor meus adeò probatur, ut ſtylo imitabili variis in quæſtionibus ſtudiosè eum ſequuti ſint, operæ precium me facturum exiſtimavi, ſi omnem hanc meditationem meam typis datam exire in lucem curaverim. Idque eò propenſiore feci animo, quod mea propè mortifera ſuperioris temporis invaletudo (à qua ſingulari, & propicio Dei miſericordis beneficio, ac fideli, aſſiduaquè cura medica me nunc liberatum grata mente agnoſco, ſperoq;) impedi-

pedimentum mihi attulit satis diuturnum, quò minus Acroasi nostræ, præter voluntatem, operam dare, & publicis vacare lectionibus potuerim.

Accipite ergo adulescentes studiosissimi, amici carissimi, hos commentarios meos, breves quidem chartis, sed rerum utilissimarum multitudine, ac varietate uberes atque magnos; accipite, inquam, eo animo, quo dantur; illisque vos oblectemini commodè quandiu voletis; tandiu autem velle decebit, quoad vos, quantum proficiatis, non pœnitebit.

Subministrabunt vobis, scio, adjumentū ad faciliorem feu-

dalis jurisprudentiæ intellectũ, haud exiguum.

Quæstiones in illis non paucas ita expeditas invenietis, ut vix pari ratione, ſtudio, & diligentia hactenus à quoquam alio eas excuſſas, & explicatas intelligetis. Valete, & me mutuò amare pergite. Tubingæ 20. Auguſti, Anno Chriſti 1611.

HENRICUS BOCERUS
Juriſconſultus.

Accla-

Acclamatio
AD
NOBILEM ET
CONSVLTISSIMVM
VIRVM,
Dn: HENRICVM BO-
CERVM, JVRISCONSVLTVM
& Antecessorem Academiæ Tubingensis
ordinarium,
ILLUSTRISS. PRINCIPIS WVR-
TENBERGICI CONSILIARIUM
dignissimum,
& supremi Consistorii eiusdem Ducatus, per
multos annos Adsessorem fidelissi-
mum,

Dominum Collegam, & Fautorem suum
multis nominibus honorandum, de Nobi-
lissima Feudorum materia libros
edentem.

INgeniumné prius mirer Linguamq; disertã,
Quæ Natura Tibi, *Magne Bocere*, dedit!
An potiùs mirer, quos præstas ritè labores,
Ingenii vulgas dum monumenta Tui!
Suspicio eloquium; ingenium quoq; comprobo
valdè,
Quòd satis hoc carmen non celebrare potest.

Ast

Aſt magis admiror *Curas*, multosque labores;
Quos Tu *Siſyphios*, nocte dieque geris.
Hos ego difficiles canerem nunc ordine longo,
Caſtaliæ infelix nî mihi vena foret.
Nil opus: Ecce iterũ ſpecimẽ, vir Maxime, proferſ;
Quod quoque mirari poſſet & ipſa Themis.
Naturam oſtendis *Feudi*; multa inſuper addis,
Scrinia quæ mentis clauſa tulère Tuæ.
Remq; operamq; BOCERE Tuâ facis indole dignã:
Commoda fers Aulis, cõmoda multa Scholis.
Perge Tuis Curis Animos formare Juventæ,
Sic Tua poſt cineres Fama perennis erit.
Perge Tuis ſcriptis Res illuſtrare ſalubres;
Utque diu poſſis ſcribere; vive diu.

SAMVEL BANSOVIVS
V. I. D. & Sup: Conſiſt: Vvurt:
Adſeſſor deproperabat.

ARGV-



ARGVMENTUM ET DISTRIBUTIO TRACTATVS.

H*Aud infimũ obtinet locum in juris feudorũ præceptionibus argumentũ de substantia, natura, & accidente feudi. Non modò enim quid verè feudum sit, ejus si formam spectes essentialem, probè inde cognoscimus, quidq; pactis investituræ, vel detrahi, vel adjici feudo rectè queat, vel non, expositio ejus satis superq; demonstrat; sed & inspectio ac cognitio illius solida, variarum quæstionum,*

ancipitem cogitandi curam, & mentis agitationẽ adferre quæ solent, difficultatem omnẽ planè dispellit.

Quocirca operæ precium me facturum putavi, si mea quoq; operâ qualicunq; peculiari quodam tractatu illud diligenter explanaverim; maximè verò cum variorũ de eo varia comperiam esse judicia, à placitis tamen feudorum sæpè aliena.

Primum autem de feudi substantia; post de natura feudi; postremò de ejus accidente, compendio quidem verborum, accuratè tamen capitibus distinctis differere animum induxi meum.

CAP. I.

De feudi substantia.

SUMMARIA.

1. Doctores distinguunt inter substantialia, naturalia & accidentalia contractuum, & feudi.
2. Recentiores eam distinctionem improbant, sed malè. Verum in distinguenda substantia ab ipsa natura opus est ingenio. & quidem instructo.
3. Substantiæ nomen tres habet significatus in iure nostro.
4. Substantia feudi est forma feudi essentialis.
5. Substantia feudi consistit in fidelitate, sive fide mutua, ad quam invicem præstandam obligati sunt Dominus, & Vasallus.
6. Vasallus promittere Domino fidelitatem tenetur iuratò: nisi ei remissum sit iuramentum: quo casu absque iureiurando Vasallus simpliciter fidelitatem promittit
7. Feudum dicitur à fidelitate, sive à fide.
8. Vasalli dicuntur quoque fideles.
9. Feudistæ plerique agnoscunt, feudi substantiam contineri feudalitate feudaliciа.
10. Non sola fidelitas, sed cum genere feudi coniuncta constituit substantialem feudi formam.
11. Genus feudi est ius in re aliqua.
12. Genus feudi est commune cum Vsufructu, & Emphyteusi.
13. Pactio Domini, & Vasalii, ne fidelitas præstetur, an efficiat, quo minus sit feudum, an verò pro nostro adiecta habeatur.
14. Precarii forma essentialis quæ sit.
15. Præstatio doli in contractibus bonæ fidei, non est de substantia, sed natura eorum contractuum.
16. Fidelitatis nomen significat quandoque iusiurandum, quo promittit Domino Vasallus fidem feudaliciam.
17. Vasallus *per iuramentum* quis dicatur.
18. Conventio Domini & Vasalli, *ne invicem fidelitas præstetur*, viciat feudi constitutionem.

19. Quæstio; cum pactum, ne fidelitas præstetur, impediat feudi constitutionem, an aliud quoddam negocii genus constituatur? Id quod negatur.
20. Responsio ad objectiones tios.
21. Regula: si id, quod ago, non valet, vt ago, valet tamen ut valere potest, quando procedat.
22. Regula: Quod si non valet, quod ago, vt ago, nec valet, vt valere potest, quando procedat.
23. Immobilis res an sit de feudi substantia, quæstio est ardua.
24. Feudum constitui potest in pecunia.
25. Error indicatur gl. & Dd. circa text. in Tit. 8. in prin. & Tit. 25. lib. 2. feud.
26. Res feudalis non est substantia, sed subjectum feudi.
27. Feudum est instar vsusfructus.
28. Feudum aliud proprium est, aliud improprium.
29. Proprium feudum in re immobili constituitur: Improprium in re mobili.
30. Feudum præscriptione adquisitum est improprium feudum.
31. Definitio feudi, proposita in Tit. 23. §. vlt. lib. 2. feud. exponit feudum proprium, ex parte maxima.
32. Feudo in pecunia constituto Vasallus vtiliter cavere tenetur, se feudo finito eandem quantitatem restituturum.
33. Cautio illa an sit de substantia feudi, in pecunia constituti?
34. Quæstio, an sit de substantia feudi, ut dominus proprietatem rei in feudum datæ retineat?
35. Quæstio, an sit de feudi substantia, præstatio servitiorum?

1 ETsi plerique Veteres communiter distinguant inter substantiam, & naturam ut contractuum, sic & feudi; ac de substantia cujusdam rei quæ sunt, etiam substantialia dicant, de natura verò quæ sunt, naturalia vocitent, vt accidentalia quæ accidentia negocij, ac rei alicuius esse censentur, *gl ad*

l. Pacta

l. Pacta conventa, 72. §. 1. in Verb. Nova emptio, ff. de contrah. empt. & vendit. Curt. Iun. Tractat. feudor. part. 1. cap. 7. nu 24. & seq. Zas in Tractatu de feud. cap. 1. in fin. & lib. singular. juris intellectuum, cap. Substantialia, & naturalia contractuum quae sint, Ludolph. Schrader, in Tractat feudali part. X. in praeambulo, nu. 7. & part. eadem, sectio. 4. nu. 90. & seq. Non desunt tamen ex neotericis, 2
qui inter substantiam, & naturam feudi, verum esse discrimen negant. Duarenus etenim *ad l. Iurisgentium 7. §. Quinimò vers. Idem responsum scio, ff. de pactis* Contractus substantiam cum natura contractus planè confundit, vt & Contius *lib. 1. discept. juris civilis cap. 17. vers. Nunc ad propositam,* Cuiac. item *in praefatione in libros feudor. in fine.* Idem est, ait, natura, & substantia, & falsa vulgaris interpretum differentia. Idem Cuiac. *in Comment. in lib. 9. quaest. Papin. pag. 205. fac. 1.* Nec ait, sunt audiendi, qui differentiam constituunt inter ea, quae sunt contractus, naturalia, & substantialia. *Et in lib. quaestionum eiusdem pag. 242. fac. 1.* Non est, inquit, constituenda differentia inter naturam & substantiam. Et Ioan. Borcholt *in Commentar. in Tit. ff. de pactis. cap. vlt. nu. 56.* dico, *ait,* ex natura, sive substantia contractus, propterea quod Jurisconsulti haec duo pro eodem accipiunt. Henman.

quoque Vultei. *lib. 1. de feudis, cap. 7. nu. 55. pag. 205.* hanc inter substantiam & naturam contractus, aliusq; rei distinctionẽ omnino reijcit. Utrius autẽ partis sententia censenda sit vera, ex sequentibus abundè liquebit.

Cæterum in distinguenda substantia negocij à natura, ingenio opus est, & quidem instructo, *ut tradit Alciat. ad l. 4. ff. de reb. credit. & Gabr. Mudæ in comment. in Tit. de contrah. empt. et Vendit.* Substantiæ nomen quatuor potissimum in jure nostro significa-
3 tus admittit. Primò significat rem ipsam suis ex causis constantem, *ut in l. Iulianus 9. §. sed si quis 3. ibi, mutata forma prope interimit substantiam rei, ff. ad exhibend.*

Deinde substantia denotat vim & effectum rei cuiusdam, *in l. 3. in princ. ff. de oblig. & act. Ubi Paul. ICtus* Obligatiónum, ait, substantia non in eo consistit, ut aliquod corpus nostrum, aut servitutem nostram faciat, sed ut aliũ nobis obstringat ad dandum aliquid, vel faciendum, vel præstandum.

Tertiò substantia Iurisconsultis nostris est rei cuiusq; materia, ex qua res aliqua est, *ut in l. 1. in fine principij, ibi, non tam ex substantia, & l. In venditionibus 9. §. Ult. ff. de contrahend. empt. & vendit.*

Quartò substantia designat ipsam formam rei per quam res est id, quod est, & à cæteris rebus distinguitur, *ut in d. l. Pacta conventa*

venta 72. in fin. prin. ibi, Quoniam emptionis substantia constitit ex precio, ff. d. t. Quo loco precium non est emptionis materia ex qua, quippe cum emptio sit conventio quædam, id est consensus in precium, *l. 1. §. 2. & 3. ff. de pactis.* Cuius consensus membrum aliquod emptionis precium dici non potest, sed precium dicto loco id esse dicimus, quod essentialem formam ipsi emptioni & venditioni præbet.

Atque hæc significatio vocis substantiæ huius nostri est instituti, & ad eam spectantes Doctores nostri substantiam sive substantiale cuiusque contractus illud esse dicunt, quod est essentialis forma contractus, ut quæ ipsum esse contractui tribuit, sive per quod contractus in suum esse producitur, & productus conservatur. *d. l. Iulianus 9. §. Sed si quis 3. in fin. ff. ad exhib.*

Item substantiam & substantiale feudi illud esse rectè affirmant, per quod feudum in quidditate, ut loquuntur, ponitur, id est, per quod feudum est id, quod est, & à quovis alio simili jure discernitur. *Bald. ad l. Etiam 5. nu. 6. C. de execut. rei jud. Alvarot. ad Tit. 24. §. Est & alia, num. 6. lib. 2. feudor. Curt. Iun. Zas. & Schrad. supra dictis locis. Idem Schrader. eodem tractat. feudal. part. 2. cap. 2. nu. 24. & seqq. & Sebast. Vant. de nullitat. sententia ex defectu process. nu. 9.*

Diſpiciendum ergò in quo feudi ſubſtan-
4 tia, id eſt, feudi forma eſſentialis verè conſiſtat. Qua in re cum Interpretibus noſtris per omnia me conſentire autoritas juris feudalis planè prohibet.

5 Subſtantiam feudi conſtare ajo ex fidelitate, ſive fide, ad quam invicem præſtandam obligati ſunt Dominus, & Vaſallus, & hic quidem illi cum quadam veneratione, & obſequio, Daß ſie einander mit Rhat vnd that getrew/ vnd hold ſein/ Einer deß andern Schadennach vermögen wende/ vnd warne/ Vnd der Lehenman dem Lehen Herrn gebürende Ehr erzeige/ *per. text. in Tit. 5. 6. & 7. Tit. 22. §. cupia autem ibi, ſalva reverentia, & Tit. 23. §. De illa autem, verſ. Quomodo enim, ibi, quàm humiliter, quàm devotè, quàm fideliter, lib. 2. feudor.*

6 Hanc fidelitatem ſive fidem Vaſallus Domino feudi promittere tenetur, & quidem juratò (vnde ipſum jusjurandum etiam fidelitas vocatur, *Tit. 4. lib. eod. feudor.*) vel ſimpliciter ſine juramento, ſi id nominatim actum ſit, ne cum juramento fidelitas iſthæc domino feudi præſtetur, *Tit. 3. in fin. & Tit. 24. §. 1. lib. 2. feudor.*

7 Et quod fides ſive fidelitas hæc feudi ſubſtantia, id eſt, forma eſſentialis ſit, etiam ex eo evincitur, quod ipſum feudum à fide, ſive fidelitate dicitur, *d. Tit 3 in fin. li. eod. feud.*

Quodque

Quodque Vasallus in feudorum iure fidelis appellatur, *Tit. 1. §. Quia vidimus, Tit. 4. §. si quis, & Tit. seq. §. Item si fidelis, & §. Rursus, Tit. 50. de contentione inter Domin. & fidelem, lib. 1. feudor.* 8

Zas. *quoque in epit. feud. part. 1.* Molinæ. *item in consuetud. Paris. 1. in prin. nu. ult. &* 9
Schrader. *in tractat. feud. part. 2. cap. 2. nu. 25. & seqq.* tum etiam Iohan. Borcholt, post alios in Commentar. *in consuetud. feudor. cap. 1. num. 20.* feudi substantialem formam isthac fidelitate, sive fide contineri tradunt.

Hæc tamen essentialis forma feudi, vt integra sit, & perfecta, cum suo semper coniungi genere debet, quod est *jus in re aliqua.* 10
Etsi enim ut Vasallus Domino feudi, & hic 11
vicissim illi fidelis esse jubetur, sic & subditus magistratui, puta Principi, Comiti, Baroni suo, & hic illi vicissim fidelitatem, sive fidem debet, subditus tamen suô magistratui ex eo Vasallus non est; siquidem eorum fidelitas cum jure quodam in re non sit conjuncta, sicuti feudalitia fides cum quodam jure in re aliqua est coniuncta, quod jus in re quadam genus est feudi. Vt enim vsusfru- 12
ctus est jus in re aliqua, puta corpore alieno *§. 1. Institut. de vsufruct. & l. 2. ff. eod.* & Emphyteusis jus est in alieno prædio, *l. 3. §. Si jus, ff. de reb. eorum, qui sub tutel. vel cura sunt. l. Si domus, 71. §. 1. ff. de legat. 1.*

Sic & feudum est jus in re quadam, *per text. in Tit. 1. §. ult. lib. 2. feud.* Ut proinde genere conveniant feudũ & emphyteusis, itemque Ususfructus, forma autem substantiali differant; quippe cum neque ususfructus, neque emphyteusis ad hoc constituatur, ut mutua inter dantem, & accipientem fidelitas, sive fides præstetur.

13 Sed quæri hoc loco potest, utrùm pactio Domini, & Vasalli, ne isthæc fidelitas invicem præstetur, impediat, quo minus feudum sit, an verò pro non adiecta habeatur ea pactio, & feudum nihilominus consistat, ac Vasallus Domino feudi, & hic vicissim illi fidelis esse teneatur? Ob pactum hoc, feudi constitutionem ipso jure nullum esse, & neque Vasallum, neque feudi Dominum constitui intrepidè affirmo, hac ratione, quod detracta rei forma, essentiali, ipsa quoque res perit. *l.* Julianus *9. §. Sed si quis 3. in fin. ff. ad exhib.* Unde sine precio, quod est substantia, sive essentialis forma emptionis, *d. l. Pacta convente 72. in prin. vers. Quoniam emptionis, ff. de contrah. empt. & vendit.* emptio consistere nequit, *l. 1. §. 1. l. Si quis 38. ff. de contrahend. empt. & vendit. l. Insulam, 6. ff. de in æscript. verbis*, & conductio, cujus forma essentialis est merces, sive constituta mercede nulla est, *l. Si quis conduxerit, 46. ff. de cati.*

Cæte-

Cæterum quò minus propositæ quæstionis decisio hæc nostra subsistat, efficere videtur textus *in l. Cum precariò 12. in prin. ff. de precario*, Ubi dicitur, quod precarium maneat salvum, etiamsi convenerit inter dantem, & accipientem, ut ille ab hoc revocare id possit certo tempore, puta post calendas tantum Julias, atque hanc pactionem duntaxat abjici à precario, eo salva manente. 14

Verum respondendum est ad locum illum, quod ibi non de substantia, sed de natura precarii agatur, quæ natura precarii in eo consistit, quod revocari potest precarium, quando libuerit concedenti *l. 1. §. 2. & l. 2. §. 2. ff. d. t.* Substantia autem precarii eo solùm continetur, quod res conceditur utenda, nullo præscripto, vel fine vel modo usus rei concessæ, *l. 1. in prin. & §. 1. & l. 2. §. 1. ff. de precario.* Duaren. *in Commentar. ad Tit. & Pandectar. de cõmodato cap. 1.* Donel. *ad l. vlt. num. 1. C. d. t. & lib. 14. commentar. cap. 2. pag. 218. & cap. 34. pag. 346.* Hotoman. *lib. 1. amicabil. responsion. cap. 21. sub. lit. B.*

Atque hac substantia, id est, forma essentiali, ut modò citati quoque Interpretes volunt, distinguitur precarium à commodato, quo res quædam in aliquem certum fine & modo pręscriptũ usum conceditur *l. cum qui*

50. & l. In commodato 17. §. Sicut ff. Commodati, §. Furtum autem, verſ. Itaque ſive creditor & §. Placuit, Inſtit. de oblig. quæ ex delict. naſc.

15 Similiter non infringit deciſionem noſtram, quod pactio bonæ fidei contractui adiectâ, ne futurus ſcilicet præſtetur dolus, ipſo jure nulla eſt, contractus ſubſtantiâ manente ſalvâ *l. In commodato 17. in prin. ff. Commodati l. Si vnus 27. §. Illud nulla 3. ff. de pactis, l. Illud. 5. ff. de pactis dotalib. & l. contractus 23. §. Sed hæc, verſ. Excepto eo, ff. de reg. iur. l. 3. § 1. communi divid.* Doli enim præſtatio non eſt ſubſtantia, id eſt, eſſentialis forma contractus bonæ fidei, ſed eius quædam eſt natura tantum, cum ipſi contractui jam conſtituto, ut ejus naturale adiunctum inſit, nō autem conſtituat ipſum contractum, ut etiam Vlp. *Iurisconſultus in d l. contractus 23. in prin. ff. de reg. jur.* his indicat verbis: Contractus quidem dolum malum recipiunt.

16 Nihil denique decerpit deciſioni noſtræ textus *in Tit. 24. §. 1. ibi. Sunt enim quædam feuda ita data, ut pro his fidelitas non ſit præſtanda, lib. 2. feudor.* Hoc enim loco fidelitas non eſt ipſa fides feudalitia, qua feudi ſubſtantiam, id eſt, formam eſſentialem contineri dixi, ſed eſt jusjurandum eius fidei ſive fidelitatis, vt præcedentia arguunt verba.

Et

Et quod fidelitatis nomen in feudorum jure, ipsum etiam jusjurandum, quo fidelitas sive fides feudalitia promittitur, significet testatur satis textus *in Tit. 4 lib. 2. feudor.* Vbi Jurisconsultus, fidelitatem, ait, dicimus, jusjurandum, quod à Vasallo præstatur Domino. Non tamen propria, sed metonymica isthæc significatio fidelitatis est, ut ex eo apparet, quod juramentum & fidelitas in feudorum libris opponuntur, *Tit. 3. in fin. ibi* juramento fidelitatis, *Tit. 5. ibi* jurare fidelitatem, *item ibi*, ideò juret fidelitatem, *& tit. 7. in prin. ibi*, super fidelitatis juramento *lib. 2. feudor.* Pacto autem effici potest, ne juramentum fidelitatis Vasallus Domino feudi præstet, *d. Tit. 3. in fin. & Tit. 24. §. 1. lib. eod. feudor.*

Atque hic Vasallus dicitur Vasallus per 17 non sacramentum, ille verò, cui remissa non est juramenti præstatio appellatur Vasallus per juramentum *in Tit. 47. in fin. lib. 2. feudor.*

At conventio, qua agitur, ne invicem Dominus feudi & Vasallus fidelitatem ipsam, 18 sive fidem feudalitiam, quæ substantia, id est forma essentialis Feudi dicitur, præstent, planè nulla est *ut sentit quoque* Duar. *in Commentar. in consuetud. feudor. cap. 2. num. 3.* Sonbeck. *item in Commentar. in usus feudor. part. 2. num. 34.* Cuiac. *in præfat. in libros feudor.*

feudor. in fin. & Iurisconsultus Borcholt. in Commentar. in consuetud. feudor. ca. 1 nu. 20.

19 Expeditæ jam quæstioni proxima est illa, cum feudi constitutionem planè impediat pactum, ne fidelitas præstetur, an nihilominus aliud negocii genus intelligatur contractum, puta, an res saltem in usumfructum censeatur data? Negata sententia veritati propior mihi videtur. Qui enim aliquod negocium, quod solum contrahere voluit, inutiliter agit, omissâ scilicet eius substantiâ, is nō modò idem illud negotium frustrâ, & inutiliter tractat, sed & nullum aliud negocium conficere in eo ipso consetur, textus est in *l. 1. § Eum qui, 4. ubi gl. & Dd. ff. de constit. pecun. & in l. 1. §. Si quis, 2. ff. de verb. oblig.* Et facit huc, quod ultra agentium intentionem actus eorum operari nihil debet, *l. 3. C. Ne uxor. pro marito, l. Non omnis 19. in prin. ubi* Bart. *& alii ff. de reb. Cred. l. 3. §. 1. ff. de oblig. & actionib.*

20 Non obstat text. *in l. Lucius Titius 27. in fin. ff. depositi, Ubi* Paul. *Iurisconsultus,* Quoniam, ait, dos constitui non potuit ex causa depositi, actione de peculio pecuniam repetendam. Non, inquam, obstat ille textus. Est enim de facti specie, qua & dos data, & quidem data nominatim sub titulo depositi, & proinde illud quoque expresse actum, ut dos repeti actione depositi posset, si dotis actioni locus esse nequeat. Nihil

Nihil quoque refragatur, quod inutilis acceptilatio vim habet taciti pacti, *l. Si vnus 27. §. pen. ff. de pactis, & l. An inutilis 8. in prin ff. de acceptilat.* In acceptilatione enim communi partium placito id agitur, ut debitor liberetur. Liberatur autem non minus pacto, quam acceptilatione, *l. Creditori, 5. C. de pactis, & l. Nihil interest, 112. ff. de reg. jur.* Et constat nos ad liberandum faciliores esse debere, quam ad obligandum, *l. Arrianus ait 47. ff. de obligat. & actionib.*

Adhæc non refragatur, quod servus, qui à Domino suo adoptatur, licet ipsa adoptione non efficiatur filius, libertatem tamen consequitur, *§. ult. Instit. de adopt.* Dominus enim qui servum suum efficere desiderat filium, eundem etiam liberum esse cupit: Siquidem non nisi liber homo in patria sit potestate. Qui autem vult unum, censetur etiam velle omne aliud, sine quo illud esse non potest, *l. Illud 77. ubi Bart. & alii ff. de adquir. vel omit. heredit. l. Ad rem 56. & l. Ad legatum 62. ff. de procurat.*

Denique non imminuit decisionem nostram vulgatũ illud juris axioma; Si id, quod ago, non valet ut ago, valet tamen, ut valere potest, *gl. ad §. ult in verb* Actis, *Instit. de adopt. & l. un. §. Similiq; modo, 10 in verb.* judicii figura, *C. de latin libert. toll.* Hæc enim regula procedit quãdo in materia peccatur. 23

Secus

Secus verò quando peccatur in forma ſubſtantiali, ut arguunt textus, vnde petita eſt ea regula, & diſertè ſcribit Thomas Linius *ad dict. §. vlt. inſtit. de adopt.*

22 Quando eſſentialis negocii cujuſdam forma omittitur, locum habet regula hæc: Quod ſi non valet, quod ago, ut ago, nec valet, ut valere poteſt, *gl. ad l. 1. §. Eum qui inutiliter in verb. Non animo, ff. pecunia conſtituta.*

23 Cæterum an præter fidelitatem ſive fidem feudalitiam, de ſubſtantia quoque feudi ſit res immobilis? diverſæ ſunt diſtráctæque Doctorum ſententiæ. Plerique opinantur, quod ſit de feudi ſubſtantia res immobilis; proindeque conventione effici non poſſit, ut in re mobili conſtituatur feudum, quam opinionem amplectitur quoque Dominus Vultejus *lib. 1. de feud. cap. 7. nu. 55. pag. 207.* Ubi, hinc, ait, ſi conveniat, vt feudum in re quapiam alia, quam immobili, aut illi æquipollenti conſtituatur, pactum illud eſt contra ſubſtantiam feudi, quod non niſi in re immobili, aut illi æquipollenti conſtitui poteſt.

24 Atque hanc opinionem confirmare videtur textus, *in Tit. 1. §. vlt. lib. 2. feud.* tum etiam definitio feudi propoſita *in Tit. 23. §. vlt. lib. eod. feud.* Verum enimverò erroneum hoc eſſe Doctorum effatum ex eo primum

mum evincitur, quod etiam in pecunia, quæ res mobilis est, *Novel. 22. de nuptijs cap. 45. Et quia parum, vers. Si verò universa, l. si Chorus 79. §. 1. ff. de legat. 3. l. 1. §. diminutio, ff. de ventre inspic. & l. Si quis sepulchrum 12. §. ult. ff. de relig.* feudum constitui potest, *Tit. 8. inprin. ibi,* ut aliud ejusdem bonitatis, seu quantitatis ei præstetur, & *Tit. 25. ibi, ut Dominus Vasallo ejusdem æstimationis, quod erat tempore rei judicatæ, feudum restituat, vel nummos infeudum dandos numeret, lib. 2. feudor.* quo utroque loco disertè traditur, re alienâ in feudum vasallo datâ, eique evictâ, dominus feudi necesse habeat, vel aliud eiusdem bonitatis feudum, vel precium feudi evicti vasallo in feudum concedere.

Non quidem ignoro, quod alius ab Interpretibus nostris utrique illi textui sensus affingatur; sed meo animo præter Jurisconsulti feudistæ mentem. Glossa, & eam secuti Iacob. de Belviso, Iacob. Alvarotus, Bald. & Baro à Tautenberg *dictis locis*, tum etiam Curt. Jun. *Tractat feudor. part. 1. cap. 2. nu. 12.* & Sonsbeck *in commentar. in usus feudor. par. 15. nu. 61.* utriusque illius loci hunc rentur esse intellectum, quod pro feudo evicto Dominus feudi nummos illos non in feudum det, sed ut vasallus pro ea pecunia feudum sibi aliud comparet, Cujac. *ad d. Tit.* 25

25. qui ipsi est, Tit. 1. lib. 4 feud. placitum illud feudale interpretatur longè aliter: siquidem scribat, illam feudi æstimationem ex Judicis sententia pro feudo, quod Vasallus retineat, Victori Domino rei feudalis solvendum esse. Sed neutra isthęc interpretatio probanda. Priori enim loco, *Tit scilicet 8. lib. 2. feudor.* Jurisconsultus feudista verbis expressis tradit, QUOD ALIUD QVANTITATIS FEUDUM VASALLO PRO EVICTO FEUDO PRÆSTARE TENEATVR, & ejusdem bonitatis feudo opponit ibidem quantitatis feudū, quorum alterum Dominus feudi ipsi Vasallo non Vasallus tertio evincēti feudū prętare cogatur. Posteriori loco *Tit. scilicet 25. li. 2. feudor.* Jurisconsultus *ut*, ait, DOMINUS VASALLO EIUSDEM ÆSTIMATIONIS FEUDUM RESTITUAT, VEL NUMMOS IN FEUDUM DANDOS NUMERAT.

Ecce & hic Dominus feudi ad duorum alterum tenere dicitur: puta, ut vel rem aliam ejusdem æstimationis, vel nummos restituat Vasallo in feudum. Verbum enim, DANDOS, de solo Domino, & Vasallo accipiendum, non de Vasallo & de tertio aliquo; tum quia ibi sermo est de solo Domino, & Vasallo: tum quia in proximo sequenti versiculo id abundè Iurisconsultus his arguit verbis, DOMINUS AD RESTITUTIONEM FEUDI TENETUR. Quæ verba cum præcedentibus ante adductis collata ostendunt, quod

feudo

feudo evicto obligatus sit Dominus aliud Vasallo restituere feudum, & quidem vel in re alia, vel in nummis. Quod cum ita sit, patet inde, feudi substantiam in re immobili haud quaquam consistere: Id quod & aliis quibusdam argumentis manifestum fieri potest.

Substantia, id est, essentialis forma rei alicujus, est propria illius tantum rei, cuius est substantia, sive forma, non communis cum rebus aliis: quippe cum per formam suam quæque res sit id, quod est, & à cæteris rebus differat, ut ex logicis præceptis discimus. Res autem immobilis non est solius feudi propria, sed est communis cum emphyteusi, atq; etiam vsufructu, quæ duo jura in re quoque immobili constitui possunt. Non ergo res immobilis est de substantia feudi. 26

Adhæc substantiam sive formam rei cuiusdam aliud quiddam esse ab eiusdem rei subjecto, in quo res est, nemo ignorat: quippe cum essentialis forma, sive substantia, sit rei ipsius interna quædam causa, per quam res ipsa existit. Subjectum verò cujusdam rei nihil essentiæ rei tribuat, sed ejus tantùm quædam circumstantia sit, ut & gemma in annulo testatur: cum hic illius duntaxat sit subjectū, & gemma absque annulo consistere possit, & annulus absq; gemma. Quocirca cum res immobilis sit feudi, ut plurimum subjectum

aliquod, in quo feudum esse plerunque solet, *Tit. 1. § Sciendum, ibi. Est autem feudum sive beneficium non nisi in rebus soli &c. lib. 2. feudor.* Certe forma ejus substantialis neutiquam dici potest.

27 Quæ sententia etiam hinc non parum firmari potest, quod feudum instar Ususfructus obtinet, *per text. in Tit. 23 §. ult. ibi ususfructus verò illius, lib. eodem feudor.* Ususfructus autem in re quoque mobili constitui potest, *§. Constituitur Instit. de usufruct. l. 3. §. Constituitur, ff. d. t.*

Accedit porrò huc, quod ut ususfructus & res fructuaria differunt, ut jus sive qualitas, & corpus quoddam sive substantiale *§ 1. Instit. de usufruct. & l. 2. ff. eod:* Sic & feudum resque immobilis differunt ut jus sive qualitas & corpus quoddam. Feudum quippe est jus, sive qualitas in re ut plurimum immobili consistens, *dict. Tit. 1. § ult. lib. 2. feudor.* Non potest ergo res immobilis dici forma, sive substantia feudi: Cum aliud sit qualitas rei, aliud item rei corpus subjectum.

Postremò quod & res mobilis in feudum dari possit, scribunt Iacob. *de* Ardizone, *in Epit jur. feud. cap. 27. in fin.* Blanc. *de feud. cap 6. num. 7. lib. 1. Matth. de Afflict. in Tit. 1 §. Sciendum num. 8. ibi, Tertiò fallit, lib. 2. feud. & Fransc. Hotoman. ad dict. Tit. 8. &*

dict.

dict. Tit. 25. lib. 2. feudor. tum etiam in diſputatione feudali cap. 17. pag. 90. Mozz. *quoque de feud. ca. 4. nu. 17* licet neget rem mobilem in feudum dari poſſe, attamen in caſu evicti feudi pecuniam pro eo datam rectè in feudum concedi tradit.

Non imminuit hanc ſententiam, quod Iuriſconſultus *in dict. Tit. 1. §. Sciendum, lib. 2 feudor.* feudum non niſi in rebus ſoli, aut ſolo cohærentibus, aut in ijs, quæ inter immobilia connumerantur, conſiſtere poſſe tradit: quodque in feudi definitione, propoſita, *in Tit. 23. §. ult lib. eod feud* rei tantum immobilis mentio fit, & in ea feudum dari oſtenditur. Uterque enim locus ille intelligendus eſt de feudo proprio.

Feudum aliud proprium eſt, aliud impro- 28
prium, *Tit. 2. §. 1. ibi, nomine proprii feudi, lib. 1. feudor. & Tit. 81 de feudis improprijs, ibi, feudum quod improprium eſt, in Extra ord. capit.* Proprium feudum eſt, quod propriam feudi naturam habet: Improprium feudum, quod non habet feudi naturam propriam, jure tamen feudi cenſetur, & revera feudum eſt, ut diſertè arguit & inſcriptio *Tit. 48. de feudo non habente propriam feudi natura*, & textus ipſe tituli eiuſdem, *lib. 2. feud.* his verbis: licet propriam feudi naturam non habeat, jure tamen feudi cenſebitur. Et paulò poſt: Propriam feudi naturam habet.

29 In hisce autem rebus, quibus feudi natura propria continetur, de quibus cap seq. agemus, est quoq; res immobilis, & quæ immobili rei æquipollet. Idque solum ostendere voluit Iurisconsultus feudista *in dict. Tit. 1. §. Sciendum, & dict. Tit. 23 §. ult. lib. 2. feud.* Non etiam quod planè feudum nullum in re mobili consistere possit. Neque illud ex verbis, NON NISI, *in dict. Tit. 1. §. Sciendum*, necessariò colligi potest. Etsi enim ea verba, præcisam denotant conditionem, attamen naturam duntaxat propriam, non substantiã feudi arguunt, ut ex versiculo ult. ejusdem §. haud obscurè evinci potest: ubi Jurisconsultus feudista, feudum, ait, neminem posse adquirere, nisi investitura, aut successione.
30 Quę verba nullo alio sensu, quàm de proprio feudo accipi debent: siquidem præscriptione quoque triginta annorum feudum rectè adquiri dicatur *in Tit. 26 §. Si quis per triginta, lib. 2. feudor*: quod feudum improprium erit censendum. Sic servitus, quæ, ut feudum, jus aliquod est, pręscriptione adquisitá, nõ proprio servitutis jure censetur, sed quasi servitus appellatur, & vicem servitutis obtinere dicitur, *l. 1. in fin. ff. de aqua & aquæ plu. arcend. & l. 1. C. de servitut. & aqua.*
31 Curtius quoque Jun. *in. Tractat. feudal. part. 1. cap. 7. num. 28.* disertè tradit, quod feudi requisita, proposita in definitione

feudi

feudi *in dict. Tit 23. §. ult. lib. 2. feud.* inter quæ est etiam res immobilis, ad feudum duntaxat proprium pertineant: quæ si Domini, & Vasalli placita mutentur, effici feudum improprium.

Hotamanus *quoque in dict. de feudis disputat. cap. 17. pag. 90.* docet, quod feudum in re mobili constitutum sit feudum improprium: quod ipse feudastrum appellat. Licet autem feudum, in re mobili constitutum, sit improprium feudum, jure tamen feudi censetur, & revera feudum est, sicuti omne aliud improprium feudum disertè in libris feudorum appellatur feudum: & rectè quidem; cum ex feudi quoque substantia, sive essentiali forma consistat, quæ est, ut supra ostendi, mutua fidelitas, sive fides feudalitia, ad quam invicem præstandam Dominus & Vasallus obligati sunt. Sic Ususfructus in re, quæ usu perit, constitutus, puta in pecunia numerata, vel quadam alia quantitate, quamvis propriè ususfructus non sit, sed quasi ususfructus, *§. Constituitur. vers. ult. ibi*, quasi ususfructus, *Instit. de usufruct. & l. 2. ibi*, quasi ususfructus, *ff de usufruct. earum rer. quæ usu consum.* attamen ususfructus est & appellatione Ususfructus continetur, ut ipsa Rubr. & totus titulus modò citatus, satis superque testantur.

Adhæc nihil decerpit decisioni nostræ, quod res mobilis fluxa est, & caduca,

commodumque exiguum ex ea in Vasallum redundare videtur. Nam & in usumfructum, cui feudum simile est, *dict. Tit. 23. §. ult. lib. 2. feudor.* res quoque mobilis dari potest, etiam ea, quae usu atteritur, qualis est navis, & vestis *l. Arboribus 12. §. Navis, ff. de usufruct. l. si usufructuarius quidem cav.* Nec est obligatus Vasallus, ut feudum ejusmodi, ex quo parum commodi percipit, invitus retineat, cum illud in manus domini etiam invito refutare omni tempore possit, nec amplius post refutationem servitia domino praestare teneatur, *Tit. 38. vers. Quia Vasallus, lib. 2. feud.*

Et quando feudum utilitatem adfert tenuem, ipsa quoq; servitia possunt esse levia, veluti ut vasallus festivis tantum diebus cum uxore domini ad Ecclesiam vadat, *Tit. 2. §. Praeterea si aliquis, lib. 2. feudor.*

Quinetiam feudum concedi potest; vt à servitiis planè sit liberum, *Tit. 104. in extraord. cepit.*

32 Illud tamen notandum, quod in feudi constitutione, quae fit in nummis & illud requiritur, ut Domino feudi Vasallus utiliter caveat, se finito feudo ejusdem quantitatis, ac generis pecuniam restituturum: quippe cum & usufructuarius, qui rem, quae usu consumitur, in usumfructum accipit, ad hanc teneatur *§. Sed utilitatis, Instit. de usufru-*

fructu, l. 2. ibi, rectè cavere oportet, l. 4. l. 6. 7. & 8. & l. pen. ff. de usufruct. earum rer. quæ usu consum. Idem quoque de hac feudi constitutione tradunt Iacob. de Ardizone, *in Epit. jur. feud. cap. 27. in fin.* Ioan. Blancus *in Epit. feudor. lib. 1. cap. 6. nu. 7. &* Matth. de afflict. *ad dict. Tit. 1. §. Sciendum, num. 8. lib. 2. feudor.*

Sed quæri hoc loco potest, sitné cautio illa de substantia feudi, quod in pecunia numerata, aliáve quantitate constituitur, ita ut sine isthac cautione feudum ejusmodi in re planè constitui non possit? Hujus quęstionis decisio pendet ex dissolutione quæstionis illius, an sit de substantia quasi Ususfructus hujusmodi cautio: de qua quæstione distractæ sunt Interpretum sententiæ, Bart. *ad l. 1. num. 12. C. de Usufruct. & post alios* Iáson *num 125.* & Alciat. *num. 32. ad l. 1. ff. de legat. 1.* Socin. Jun. *consil. 72. num. 3. lib. 2.* & Roland. à valle *consil. 92. num. 8. vol. 1. & consil. 42. num. 11. & 36. vol. 2.* Affirmatæ patrocinantur opinioni asserentes, quod sit ea cautio de substantia quasi ususfructus. At post Accurs. Azon. Imolensem, Fabrum, & alios, Arius Pinel. *ad l. 1. C. de bonis maternis part. 12. num. 78. &* Ferdinand. *Vasq. lib. 1. de potentia testatoris § ult. num. 25. &* Fachineus *lib. 8. controversiar. jur. cap. 42.* neganti adhærent sententiæ; & quidem meo quoque 33

judicio rectè. Arguit enim juris autoritas, quod licet cautio illa in ususfructus hujus constitutione fuerit omissa, consistere tamen quasi usumfructum, eamque cautionem etiam post factam rei fructuariæ traditionem incerti condictione peti posse; & quamvis planè exacta non sit, finito tamen usufructu quantitatem datam condictione repeti, *textus est in l. Hoc Senatusconsultum 5. §. 1. ff. de usufruct. ear. rer. quæ usu consumuntur.* Non obstat text. *in l 2. ibi*, CAVERI OPORTET, *ff. d. t. & in §. Constituitur, ibi, ut tamen eo nomine heredi utiliter caveatur, Instit. de usufruct.* Priori enim loco verbum, *oportet*, quod necessitatem denotat: & textus posterioris loci exaudiri debet de casu, quo is, qui suam quantitatem alii in usumfructum concedit, in ipsa constitutione hujus ususfructus, exigit eam cautionem. Nisi enim præstiterit hanc cautionem usufructuarius, certè Dominus rem suam tradere ei in usumfructum cogi minimè potest. *l. Si cujus 13. in prin. vers. Si usufructus, ff. de usufructu.*

34 Adduxit quosdam in dubitationem & illa quæstio, sitne etiam de feudi substantia, ut Dominus proprietatem rei feudalis sibi retineat? Quidam affirmant, inter quos etiam est Zasius *in Tract. feud. part. 1. num. 8.* quem sequitur Nicola. Mozz. *Tractat. de feud. cap. de substant. feudi num. 6. Nisi autem videntur,*

tur, textu in Tit. 8. §. ult. ibi, tamen proprietas ad alium ſpectat & Tit 23. §. ult. ibi, ut *proprietas, quidem penes dantem remaneat, lib. 2 feudor.*

At veritati propior eſt negata ſententia: tum quia Vaſallus feudùm ſuum, cujus proprietatem Dominus retinuit, alii concedere in feudum poteſt, *Tit. 3. §. Sed etiam rei, & Tit. 9. §. Si verò vel totum libr. 2. feudor.* tum quia proprietas rei tantum corporalis eſt, *l. Si cujus, 13. in prin. l. Sed ſi quid, 15. §. Proprietatis Dominus, l. Dominus 57. in fin. ff. de uſufruct. l. Si tibi 17. ff. Quibus mod. Vſusfruct. amitt. l. 4. C. de probat. l. ſi ita legatur 16. §. 1. ff. de uſu, & habitat. l. Fructus 33. ff. de rei vindicat:* Cum tamen & res in corporalis in feudum dari poſſit, *Tit. 1. §. ult lib. 2. feud. & c. Super quibuſdam* §. *Præterea X. de verb. ſig.* ut eſt juriſdictio, quæ etiam in feudum conceditur. Zaſ. *in Tract. feudal. part. 4. Schrader. Tract. feudali part. 3. cap. 2. num. ult.* tum poſtremò, quod etiam ex ſententia multorum & pacto effici poteſt, ut & proprietas rei feudalis ad Vaſallum tranſeat, *Bald. ad l. Si plures, num. 7. C. de condit. inſert. l. un. num. 67. C. de confeſſis* Curt. Jun. *Tractat. feud. part. 1. cap. 7. num. 22.* Iaſ. *in prælud. feudor. num. 14.*

Molin. *ad consuetud. Paris. Tit. 1. gl. 1. in fin principij*, Zas. *in Epit. feudor. part. ult. circa finem.* Ludolph. Schrad. *Tractat. feudal. part. 2. cap. 2. num. 25. & seq.*

Quod si autem proprietatis retentio de feudi substantia, id est, forma substantiali, esset, pacto certè effici neutiquam posset, ut ipsa quoque rei feudalis proprietas ad Vasallum pertineret, *per text. in l. Iulianus 9. §. Sed si quis 3. ibi, Nam mutata forma, propè interimit substantia rei, ff. ad exhibend.*

Nihil obstat huic negatæ conclusioni, quod text. *in d. Tit. 8. §. ult. & d. Tit. 2. §. ult. lib. 2. feudor.* innuere videtur, rei feudalis proprietatem debere apud Dominum concedentem remanere. Est enim uterque ille locus de propria feudi natura, non de ejus substantia, sive essentiali forma intelligendus, uti rationes pro negata sententia adductæ abundè arguunt, & docet Curt. Jun. *in Tractat. feud. part. 1. cap. 7. num. 22. & 28.*

Propria feudi natura est, ut rei feudalis proprietas apud Dominum remaneat, ut ex dictis locis constat; quæ feudi natura si pacto mutetur, & agatur, ut ad vasallum ipsa etiam proprietas transeat, feudum efficitur improprium, *Tit. 48. lib. 2. feudor.* Sic propria ususfructus natura hæc est, ut proprietas rei fructuariæ Domini maneat, non ad

fructua-

fructuarium pertineat, *Instit. de usufructu, in prin. ibi, alienis rebus,* & *§. Ne tamen, in universum,* & *§. ult. l. 1. ibi, alienis rebus utendi.* & *l. 3 §. Ne tamen, ff. d. t.*

Quod si igitur testamento alicui detur in usumfructum quantitas quædam, puta numerata pecunia, vinum, oleum, frumentum, eæque res in absumptione sint, *l. 5. §. 1. ff. de usufruct. earum rer. quæ usu consumuntur*, proindeque dari non possint, nisi & proprietas earum usufructuario cedatur, *l. si uni 7. ff. d. t.* certè ususfructus ille improprius est, atque etiam quasi ususfructus appellatur, *l. 2. §. 1. ff. eod. tit.*

In disceptationem cadit & illa quæstio, 35 an sit de feudi substantia, ut Vasallus Domino servitia præstet? Post Iacob. de Belviso, Alvarot. *num. 6.* & Præpositus *num. 1. ad Tit. 24. §. Est & alia lib. 2. feudor* id affirmare ausi fuerunt. Alii verò inter quos etiam est Andreas de Isern. *ad dict. Tit. 24. §. Item qui Dominum lib. eod. feud* Matth. de Afflict. *in præludiis feudor. num. 66.* & Curt. Jun. *in tractat. feudor. part. 1. cap. 7. num. 22.* contrariæ patrocinantur sententiæ: quam & ego similiter veram pronunciare dubito nihil; tum quia feudum esse potest à servitiis liberum, ut est textus in extraord. cap. *Tit. 104. in fin. prin. ibi, Cum feudum sic datum est, ut nullum pro eo servitium fiat*, &c. tum quia ex usufru-

usufructu, cui feudum simile est, *Tit. 23. §. ult. ibi, usufructus verò, lib. 2. feudor.* fructuarius servitia præstat nulla; tum etiam, quia licet Vasallus longo, vel longissimo tempore non servierit Domino, feudum tamen retinet, modò intra tempus illud ad servitia vocatus non fuerit, aut Domino magnum periculum immineat, vltrò non servierit, *Tit. 21. in fin. lib. 1 feudor. Tit. 26. §. Licet Vasallus Tit. 28. §. Ad hoc, & Tit 37. in fin. & Tit. 55. §. Firmiter, ibi,* Vocatus à Domino *lib 2. feudor.*

Quod si de substantia feudi esset præstatio servitiorum, sine intermissione Domino servitia Vasallus deberet; quippe cum rei substantia sive essentialis forma abesse nunquam possit re ipsa salvâ. *d. l. Iulianus 9. §. Sed si quis 3. in fin. ff. ad exhibend. c. Tua nos, ibi, Non debet ex illo facto conjugium judicari, cum in ea nec substantia conjugalis contractus, nec forma contrahendi conjugium valeat inveniri, X. de sponsalib. & matrimoniis l. Sera 6. §. 1. ff. de auro, & argento legat. & l. Si is 80. §. Quædam, ibi, Neque enim ullum balineum, aut theatrum, aut stadium fecisse intelligitur, qui ei propriam formam, quæ ex consummatione contingit, non dederit, ff. ad leg. Falcid.*

Nullum ajenti opinioni firmamentum adjungit, quod feudi definitio, proposita *in Tit.*

Tit. 23. §. ult. lib. 2. feudor. requirit, ut Vasallus Domino serviat. Est enim ea definitio non essentialis & perfecta, sed quædam descriptio feudi, collecta ex quodam genere, & coacervatione naturalium qualitatum feudi, quæ proprium constituunt feudum, ut & Curt. Jun. sentit *tract. feud. part. 1. cap. 7. num. 22. & 28.* Unde feudum quidem est, ex quo Vasallus nullum Domino servitium debet, sed feudum improprium; cum proprii feudi naturam non habeat, *per text. in Tit 48. lib. 2. feudor.*

Neque etiam roboratur eadem illa opinio textu *in Tit. 21. & Tit. 36. vers. Quidam tamen, juncto vers. seq. lib. eod. feudor.* Ubi traditur, quod Vasallus miles feudum suum amittat, si clericus fiat, eo quod Domino servitia amplius præstare non possit. Etsi enim Vasallus hic feudum suum amittat, ipsum tamen feudum ex eo non desinit esse feudum: siquidem ad agnatum ejus Vasalli pertinere dicatur *in eod. tit. 21.*

Ex prædictis igitur omnibus satis superque evincitur, quod feudi substantia, id est, essentialis forma feudi, continetur sola fidelitate, sive fide feudalita: Id quod sentit etiam Schrader. *Tract. feudal. part. 2. cap. 2. num. 33.*

Cap.

De natura feudi.

SUMMARIA.

1. Cujusque contractus certa est natura.
2. Quid sit feudi natura.
3. Feudi natura alia propria est, alia impropria.
4. Quid propria feudi natura.
5. Quibus rebus propria feudi natura contineatur.
6. Quid feudi natura impropria.
7. Fœmineum feudum quid sit?
8. Fœminæ in feudum fœmineum non succedunt, masculis extantibus.
9. Feudum guardiæ quid sit?
10. Galstaldiæ feudum quid sit? Variant. Dd.
11. Habitationis feudum quid sit, non intelligunt Dd.
12. Soldatæ feudum quod sit?
13. Pedagium quid sit?
14. Cameræ feudum quod sit.
15. Canevæ feudum quod sit.
16. Cameræ, & Canavæ feuda, an sint propria, vel impropria, dubitatur.
17. Emptitium feudum, an proprium sit, vel improprium, quæstio est anceps.
18. Emptum feudum transire etiam ad fœminas aliqui volunt.
19. Beneficium & illud dici potest, quod precio interveniente conceditur.
20. Opinio Dd. quando admittenda.
21. Conditionatum feudum sitne improprium, vel proprium feudum?
22. Conditionatum feudum quod sit?
23. Vno ex servitiis præfinito, an cætera videantur Vasallo remissa?
24. Fœmineum feudum, & quod ex pacto investituræ ad fœminas transitorium est, an sit proprium vel improprium feudum?
25. Natura feudi alia est separabilis, alia inseparabilis.
26. Separabilis feudi natura quæ sit.
27. Inseparabilis feudi natura quæ sit.
28. Investitura est de inseparabili natura feudi.

29. Fru-

29. Fructuum perceptio est de inseparabili natura feudi.
30. Tributum & censum ex feudo præstari jà Vasallo est de inseparabili natura feudi.
31. Amissio feudi ob feloniam est de inseparabili natura feudi.
32. Precarii natura inseparabilis est concessio rei utendæ concedenti arbitraria.
33. Societatis natura inseparabilis est, ut quisque sociorum & lucrum & damnum sentiat.
34. Societatis natura inseparabilis est, libertas abeundi à societate.
35. Societatis natura inseparabilis est, ne heredes sociorum societati succedant.
36. In distinguenda contractus, & feudi substantia à natura feudi, ingenio opus est instructo.
37. Substantia contractus, itemque feudi quid sit: quid item natura, planius declaratur.
38. Inseparabilis natura contractus aut feudi conventione abjici non potest, sed salva ea manente conventio pro non adjecta habetur.
39. Respondetur ad textus, qui arguere videntur, quod idem sint substantia, & natura contractus, aliusque rei.

EXpositâ feudi substantia, dispiciendum, quæ feudi sit natura. Ut enim cujusque contractus certa natura est, *l. Iurisgentium 7. §. Quinimò Idem responsum, ibi, aliquis extra naturam contractus, ff. de pactis l. Ex empto 11. §. 1. ibi, quæ naturaliter insunt, ff. de actionis empti, & vendit. l. Naturalis 5. §. Sed si facio ut facias vers. Et potest ibi mandatum ex pacto etiam suam naturam excedere ff. de præscript. verb. & § De illa sanè, ibi, contra naturam societatis. Instit. de societate:* Sic etiam feudi certa quædam est natura, *Tit. 48. de feudo non habente propriam feudi naturam, lib. 2. feudor.* 1

Eſt autem feudi natura, quædam feudi adjuncta qualitas, juris autoritate ipſi feudo indita. Natura feudi quod ſit quædam feudi qualitas, non ſubſtantia feudi, vel ex eo evincitur, quod natura pacto mutari & tolli quandoque poteſt, ſalvo manente ipſo feudo *dict. Tit. 48. lib. 2. feudor.* Subſtantia autem feudi mutari aut tolli neutiquam poteſt, ut capite ſuperiori expoſui.

Quod autem ſola juris autoritate, non conventione aliqua Domini, & Vaſalli, natura, id eſt, qualitas illa feudo inſcribatur, patet ex *Tit. 23. §. ult. juncto textu in dict. Tit. 48. lib. 2. feudor* Prior ille locus arguit, quod feudi natura ſit, ut illud ad Vaſalli heredes etiam tranſeat.

Hanc autem naturam non ex conventione quadam feudum habet, ſed a ſola juris autoritate, ut oſtendit textus *in dict. Tit. 48. lib. eod. feudor.* ex quo cognoſcimus, quod pacto, pacto inquam, inveſtituræ efficiatur, ut feudum non ad ſolos heredes Vaſalli, ſed etiam ad extraneos tranſire poſſit. Sic contractus cujuſque natura non à contrahentium pacto, ſed ab ipſa lege pendet, *l. Si unus 27. §. Pactus ne peteret verſ. Quotiens enim, ibi,* lex naturæ ejus tribuit, *ff. de pactis, & §. Adeo autem, verſ. Sed talis contractus, ibi, lex Zenoniana lata eſt, quæ emphyten-*

phyteuseos contractus statuit propriam naturam, Instit. de locat. & conduct.

Est autem natura feudi alia propria, alia impropria, ut innuit *Rubr* & textus *dict. Tit. 48. lib. 2. feudor.* Unde feudum aliud proprium, aliud improprium, *Tit. 2. §. 1. ibi nomine proprii feudi lib. 1. feud.* 3

Propria feudi natura est, quædam feudi qualitas communis, id est, consueta, usitata, & regularis qualitas, quam feudorum jura communem feudi rationem, item feudi consuetudinem appellant, *Tit. 2. §. Præterea, ibi, Si aliquis tenor præter communem feudi rationem, Item ibi, Pactum speciale contra feudi consuetudinem, lib. 2 feud.* 4

Hæc autem feudi natura propria, quibus contineatur rebus, describit maxime Iurisconsultus feudista in dict. *Tit. 23 §. ult. lib. 2. feudor* puta, ut feudum in re immobili, vel quæ ei connumerari solet, constituatur: ut proprietas rei feudalis penes Dominum dantem remaneat, ususfructus verò ad Vasallum transeat; ut item in feudum heredes, id est, filii succedant, non extranei; ut heredes tantum masculi, non etiam fœminæ ad feudum admittantur: ut succedant in feudum non filii tantum, sed & nepotes, pronepotes, cæteriq; descendentes masculi: tum etiam, ut Vasallus Domino servitia præstet: quæ omnia sunt de feudi natura propria, 5

ut etiam docet Curtius Jun. *Tract. de feud. part. 1. cap. 7. num. 28. vers. Ego teneo, & nu. 30. vers. Vel aliter & tertiò*

Præter hæc & alia sunt de propria feudi natura; Veluti, ut feudum inter vivos per investituram constituatur, *Tit. 25. in prin. lib. 1. feud & Tit. 1. in fin. lib. 2. feud.* ut item Vasallus in investitura juramentum fidelitatis præstet, *Tit 3. § ult. & Tit. 24. §. Est & alia lib. 2. feudor* ut feudi alienatio non nisi Domini consensu fiat, *Tit 9. Tit. 24. Tit. 52. & 55. lib. 2. feudor:* & si paternum sit feudum, ut non nisi ex consensu agnatorum feudi successiorum alienetur, *Tit. 39. in prin. lib. eod. feud:* ut feudum sine culpa non amittatur, *Tit. 7. & Tit. 21. lib. 1. feudor:* & ut feudum in manus Domini etiam inviti refutari, id est, ei invito reddi possit, *Tit. 28. & Tit. seq. in fin. lib. 2. feud.* tum quoque, ut feudum etiam paternum deficientibus liberis masculis primi adquirentis, non ad agnatos, qui non descendunt ex primo adquirente, sed ad Dominum transferatur, *Tit. 8. §. ult lib. 1. feud. Tit. 11. §. His verò Tit. 31. §. Paternum, vers. Ex latere omnes, & Tit. 50. lib. 2. feudor.*

6 Impropria feudi natura est quædam feudi qualitas, à communi & consueta feudi ratione juris autoritate ipsi feudo tributâ, prorsus aliena.

Ejusmodi natura est feudi fœminei, feudi guardiæ, feudi Gastaldiæ, feudi habitationis, feudi soldatæ, feudi Cameræ, & feudi Canevæ.

Fœmineum enim feudum, ut quod fœmina primitus adquisivit, *Tit. 30. de feudo fœminæ. & Tit. 50. in prin lib. 2. feudor.* etiam ad heredes fœminas transit, *dict Tit. 50. in prin. lib. eodem feudor.* quod est contra propriam feudi naturam, quippe cum fœminæ in feudo regulariter non succedant, *Tit. 8. §. Filia verò, lib. 1. feudor. & Tit. 50. in prin. lib. 2. feudor,* 7

Licet autem in fœmineo quoque feudo succedant etiam filiæ, cæteræque fæminæ ex prima adquirente descendentes, id tamen verum est, si nulli masculi adsint. Hi enim fœminas excludunt, nisi pacto investituræ actum sit, ut una cum masculis succedant, *Tit. 6. § Quinetiam, & d. Tit. 8. §. Filia verò, lib. 1. feudor. Tit. 17. § Cumque inter sapientes Tit. 30. ibi, deficientibus filiis, libr. 2. feudor.* 8

Feudum guardiæ, ut quod guardianus, id est, custos territorii, castri, vel domus Domini ratione officii sui possidet, Alvarotus *ad Tit. 2. nu. 9. li. 1. feudor. & ibi* Frid. Schenck. Baro, *num 3.* Cujac. *in præfat. in libros feudor. circa finem, ad Tit. 1. § Item illud, lib. 1. feudor.* Zas. *in epit. jur. feud. part. ult.* Schrader. 9

tractat. feudali, part. 2. capit. 2. num. 21. feudum, inquam, guardiæ, improprii feudi naturam habet. Nam anno finitur, *Tit. 2. in prin. & Tit. 11. lib. 1. feudor.* Cum proprii feudi natura sit, ut sit pepertuum, *Tit. 23. §. ult. ibi in perpetuum pertineat, lib. 2. feudor.*

10 Quod attinet feudum gastaldiæ, ejus fit mentio *in Tit. 2. lib 1. feudor.* & dicitur etiam feudum nomine gastaldiæ datum, *in Tit. 94. in extraord. capit.* Est autem gastaldiæ feudum, quod conceditur Vasallo gastaldo, id est, gubernatori curtis sive districtus, id est territorii Domini; scilicet pro opera, & labore, quem in gubernenda curte, sive districtu Domini sustinet ipse gastaldus, ut patet ex his, quæ ex legibus longabardicis tradit Hotomannus *lib. de verbis feudalib. in verb.* Guastaldus. Cujusmodi Vasallus, ut opinor, in districtu ecclesiastico, nostrate lingua dicitur Vitzdom / in territorio autem seculari, Vogt / oder Amptman.

Glossa tamen & Dd. gastaldiæ feudum dicunt, quod domini Oeconomus, cui domus, & res administrandæ, commissæ sunt, mercedis loco possidet, *gl. & feudistæ ad dict. Tit. 2. lib. 1. feudor.* Schrader. *tractat. feudal. part. 2 cap. 4. num. 21. & 22. Cujac. ad dict. Tit. 1. §. Item illud quod datur,*

lib. 1.

lib. 1. feudor. Henric. à Rosenthal. *in Synopsi juris feudalis, cap. 2. conclus. 32. & Vultej. lib. 1. de feud. cap. 8. num. 17.* Verum quia gastaldus actori opponitur *in Tit. 10. lib. 1. feudor.* hanc Interpretum sententiam probare nequeo; siquidem actor is sit, cui Dominus bona sua administranda commisit, *l. un. C. de solut. & liberat. debitorum civitatum lib. 11. l. Decreto 24. ff. de administrat. & pericul. tutor. l. un. C. de actore à Tutore seu Curatore dando*, quem nostrate lingua vocamus Keller / Kast Keller / Schosser.

Cæterum feudum hoc impropriam feudi naturam habet, siquidem anno finiatur, *dict. Tit. 2 in prin. & Tit. 11. lib. 2. feudor.* Cum tamen propria feudi natura sit, ut perpetuò apud Vasallum, & ejus heredes masculos maneat, *dict. Tit. 23. §. ult lib. 2. feudor.*

Feudum habitationis similiter impropriam feudi naturam habet; quippe cum morte accipientis finiatur, *Tit. 105. in extraord. capit.* Cum tamen feudi propria natura sit, ut in perpetuum ad Vasallum, & heredes ipsius pertineat, *dict. Tit. 23. §. ult. lib. 2 feud.*

Quid autem habitationis feudum sit, 11 ignorare Dd. videntur. Arbitrantur etenim habitationis feudum esse jus habitandi in domo, vel arce Domini, loco feudi concessum, *Schrader. Tractat. feudal. part. 2.*

 cap. 4.

cap. 4. num. 49. Vultei. lib. 1. de feudis cap. 8, num. 18. Verùm errore, uti reor, ducuntur. Etsi enim non diffitear, Vasallo hujus feudi competere jus habitandi in domo, vel arce Domini, attamen jus illud non est feudum ipsum habitationis, sed tantum conditio quædam, sub qua feudum aliquod Vasallo est datum, ut scilicet feudum illud habeat, eoque fruatur eatenus, & tandiu, quatenus, & quandiu in assignata domo, vel arce habetaverit, ut disertè arguit textus *in Tit. 75. in extraord. capit.*

Cæterum hujusmodi conditionem feudo neutiquam adponi posse dicendum videtur, *per textum in l. Tit. 71. § Titio centum 2. ff. de conditionib. & demonstrat.* Ubi Papin. Jurisconsultus scribit, si legatum alicui sit relictum hac conditione, ut à monumento testatoris non recedat ipse legatarius, vel ut in certa aliqua civitate domicilium habeat, abjici & remitti hanc conditionem, sive modum, & legatum pro puro haberi, eo quod libertatem, quæ publica res est, impediat: siquidem non multum differat à specie servorum is, cui non est libera recedendi facultas, *l. 2. ff. de liber. homine exhib.*

Sed responderi potest, non esse rarum, quod feudorum jura à tramite communis juris civilis recedunt, *Tit. 1. lib. 2. feudor.* Atque hanc conditionem de inhabitanda

certa

certa domo, vel arce domini ideó tolerari posse, quod perpetua non est; siquidem refutando feudum Vasallus deponere eam, atque ita recedendi libertatem recuperare possit, quando volet, *Tit. 9. §. 1. & Tit. 38. in fin. lib. 2. feudor.*

Feudum soldatæ itidem impropriam naturam feudi habet: quippe cum non modò gratuitum sit, & nullum ex eo servitium præstetur, sed etiam morte dantis, & accipientis finiatur, *Tit. 10. §. pen. vers. Morte enim lib. 2. feudor.* Cùm tamen propria feudi natura sit, ut ex eo servitia præstentur, & perpetuò pertineat non modò ad Vasallum primum adquirentem, sed & ejus heredes masculos, *dict. Tit. 23. §. ult. lib. eod. feud.* 12

Est autem feudum soldatæ, quod annua, eaque gratuita solidorum, vel annonæ, puta vini, aut frumenti præstatione continetur, *per text. in dict. Tit. 10. §. pen. & ult. lib. 2. feudor.*

Quod autem feudista dicto loco scribit, quod nullum adquirat pedagium, nec feudi usum, qui soldatam ab aliquo accepit, id non simpliciter de omni feudo, sed de feudo tantum proprio intelligi debet. Proprium feudum non accipit, cui soldata in feudum datur. Feudum enim hoc, ut eodem traditur loco, ad heredes non transit, sed morte accipientis, ut & dantis morte finitur.

13 Est autem, (ut & illud hic moneam,) dicto loco, Pedagiũ nihil, ut arbitror, aliud, quam jus militiæ ad liberos masculos transitorium, dictum uti reor, à παίς, quod puerum & ἀγιων, quod militarem aciem, & turmam significat. Est enim titulus ille 10. ut arguit *§. Cæteri verò*, de Vasallis nobilibus nobilitatis militaris. Ius autem militiæ in Præfectis transitorium erat in heredes, ut evincitur *ex l. ult. C. de testamento militis. & l. Si tribinus 8. ubi Cujac. ff. de excusat.*; Alii tamen aliter, & quidem diversimodè vocem illam interpretantur, à quibus omnibus dissentio.

Restant feudum Cameræ, & feudum Cavenæ: quorum illud etiam feudum de Camera; hoc verò feudum de Cavena dicitur, *Tit. 1. §. Sciendum, Tit. 2. §. Si verò Vasallus, & Tit. 58. in prin. libr. 2. feudor.*

14 Feudum de Camera vocamus illud feudum, quod consistit in jure exigendæ quotannis pecuniæ ex ærario Domini.

15 Feudum de Cavena appellamus illud feudum, quod continetur jure exegendi annuatim ex cellario Domini annonam, puta vinum, aut frumentum. Camera enim est conclave, in quo pecunia adservatur. Cavena autem locus est, in quo annona, id est frumentum, vinum, oleum, & simi-

& similia servantur: Ita post alios de hisce feudis sentiunt Zas. *in epit. feudi part. num. 8.* Cujac. *in præfat. in lib. feud. pag. 17.* Schneid. *part. 2. cap. 3. num. 81. & 82.* & Iohan. Borcholt. *in Commentar. in consuetud. feud. cap. 4. num 29.*

16 Cæterum an hæc feuda propriam feudi naturam habeant, nec ne, quæri potest? Veteres, quos sequitur Schrader. *dict. cap. 3. num 81.* affirmant propria hæc esse feuda: at negant hoc Cujac. *in præfatione in libros feudor. mihi pag. 17.* Borcholt. *dict. cap. 4. num. 29.* & Vultej. *dict. lib. 1. cap. 8. num. 14. & seq.* quando tradunt, quod non modò gratuita hæc sint feuda, id est, à servitiis libera, sed & morte Domini aut Vasalli finiantur.

Ego dispiciendum puto, utrum feuda hæc in soldatam concedantur, an simpliciter ex Camera, vel Cavena dentur. Priori casu autumo feuda hæc & gratuita esse, & morte dantis vel accipientis extingui, proindeque impropriam feudi naturam habere, *per text. in dict. Tit. 10. §. pen. lib. 2 feudor.* Posteriori casu reor, feuda hęc propria esse feuda; quippe cum nusquam in feudorum libris, propria feudi natura ab hisce feudis simpliciter, non in soldatam datis, removeatur. Omne autem feudum, nisi contrariũ appareat, propriam feudi naturam habere censetur, *arg.*

Tit.

Tit. 23. §. ult. lib. 2. feud. junct. Tit. 2. & Tit. 11. lib. 1. feud. Zaſ. *in epit. jur. feudor. part. ult.* Molinæ. *ad conſuetud. Pariſ. Tit. 1. §. 30. in fin.* Sonsbeck. *in commentariis ad uſus feudor. part. 4. num. 35.* Ubi de hiſce quoque feudis ſcribit, quod etiam ad Vaſalli heredes in perpetuum tranſeant. Qui volunt hæc duo feuda impropriam feudi naturam habere exiſtimant, feuda hæc ſemper ſoldatæ feuda eſſe, & à ſoldatæ feudo hæc duo feuda nihil differre, Iohan. Borcholt. *dict. cap. 4. nu. 29.* & eum ſequutus Vultej. *dict. cap. 8. nu. 18.* Verùm nullo argumento legitimo probant.

17 Cæterùm quæſtio anceps eſt, feudum emptum an propriam, an impropriam feudi naturam habeat? Impropriam feudum hoc naturam habere ſequentes arguunt rationes. Ea eſt feudi natura propria, quæ ei tribuitur in definitione feudi, tradita ab Oberto de Orto *in Tit. 23. in fin. lib. 2. feudor.* Ut ſcribit Curt. Jun. *tractat. de feudis part. 1. cap. 7. nu. 30. & cap. 9. num. 2.* Sed definitio illa diſertè teſtatur, feudum proprium gratis, & ſine precio concedi: quippe cum definiatur beneficium ex benevolentia datum. Vnde etiam vbique in feudorum libris beneficium appellatur, *Tit. 1. §. Et quia vidimus §. Cum verò, §. hoc quoque ſciendum, Tit. 15. §. ult. lib. 1. feudor. Tit. 15. 16. 17. 18. 19. in*

19. in fin. Tit. 20. 21. & 22. lib. 1 feudor. Beneficium autem illud dicitur, quod gratis, & ex mera liberalitate tribuitur, *l. 3. ff. de constitut. Princip. l. si servo 84. in prin. & §. 1. ff. de hered. instit. l. Proximè 50. ff. de ritu nupt. l. unum 67. §. 1. ff. de legat. 2. l. In commodato 17. §. Sicut autem, ff. commodati*, Feudum ergò precio comparatum à Domino, propriam feudi naturam non habet.

Accedit huc textus *in Tit. 27. in prin. vers. feudum enim, lib. 1. feudor.* Ubi Jurisconsultus feudista, feudum, ait, non sub prætextu pecuniæ, sed amore & honore Domini adquirendum est. Unde sequi videtur, quod propriam feudi naturam non habeat feudum illud, quod à Domino Vasallus pecunia sua emit.

Adhæc in patrocinium huius sententiæ Dominus Vultej. *lib 1 de feudis cap. 8. num. 45.* ita argumentatur: Si proprium esset feudum, quod pecunia comparatur, necessum fuerit, semper feudum emi. Quod cum non fiat, feudum certè emptum propriam feudi naturam habere haud dici potest. Præterea tueri hanc videtur opinionem *textus in Tit. 2. lib. 1. feudor.* Ubi agitur de feudo pecunia comparato, & dicitur, quod anno finiatur, nisi ad certum tempus sit datum.

Denique veteres juris feudorum Interpretes omnes, & plerique etiam recentiores feudum

feudum emptum impropriis feudis connumerandum censent, quos refert, & sequitur Anton. Gabriel Roman. *lib. 3. conclus. commun. Tit. de feud. conclus. 2.* Zas. *in repet. feud. cap. 12. vers. Tertia conclus.* Ioan. Borcholt. *in commentar. in usus feudor. cap. 1. num. 26.* Ludolph. Schrader. *Tractat feudal. part. 2. cap. 4. nu 56.* Henric. à Rosenthal. *in Synophi juris feud. cap. 2. conclus. 36* Herman. Vultej. *lib. 1. de feud. cap. 8. nu. 45* & Dominus Obrechtus *disputat. de feud. 3. thes. 297.*

18 Atque hinc existimant nonnulli feudum hoc jure successionis ad fœminas quoque pertinere, quos longa serie commemorant, & meritò reprobant post alios Hartman. Pistor. *lib. 2. quæstion. jur. quæst. 34. num. 8.* Mynsing. *cent. 5. obser. 73* Iohan. Borcholt. *in comment. in consuetud. feudor. cap. 7. part. 2. num. 65.* And Fachin. *lib. 7. controversiar. cap. 37.* & Herman. Vultej. *dict. cap. 8. num. 44.* de qua quæstione suo loco meum interposui judicium, & alibi etiam opportunè fusius disserere constitui.

Etsi verò prædictæ rationes, & Dd. Vota, emptum feudum impropriam habere feudi naturam arguere videantur, Sonsbeckius tamen *in commentar. in usus feudor part. 2. num. 8. & seqq.* propriis feudis accensere & emptum annititur, ejusque opinionem veritati propiorem esse nullus dubito; hac mo-

tus ratione, quod proprium feudum à communi & consueta feudorum ratione æstimatur, *Tit. 2 §. præterea, ibi, præter communem feudi rationem lib. 2. feudor.* quæ cõmunis ratio, & qualitas placitis feudalibus propria feudi natura dicitur, *Tit. 48. lib. 2. eod.* cujusmodi naturam omnẽ retinet etiam feudum emptum. Accedit quod in feudorum libris haud rarò inculcatur, quod & precio comparari, ac pecunia à Domino emi feudum possit, *Tit. 1. in fin. ibi, Nisi restituto precio. Tit. 16. Tit. 20. ibi, nisi beneficium de communibus bonis fuerit emptum, Tit. 24. ibi, nisi à Domino redemerit, lib. 1. feudor. Tit. 12. ibi, vel pecunia communi sit adquisitum, lib. 2. feud.* nec vsquam in feudorum jure docetur, quod feudum gratuitum esse debeat, aut feudum emptũ impropriam feudi naturã habeat. Sic licet servus pecunia sit emptus, nõ tamen ex eo impropriè homo dicitur; siquidẽ propriam hominis naturam ex ipso non expellat emptio, & venditio, qua comparatus fuit.

Neq; impedit affirmatam conclusionem, quod feudum proprium dicitur beneficium ex benevolentia adquisitum, *in dict. Tit. 23. §. ult. lib. 2. feudor.* Nam & illud, quod quis aliquo precio sibi comparavit, beneficium esse potest, ut arguit textus *in l. 3. in fin. ibi, Etenim ille, etiamsi non gratuitum, beneficium tamen præstitit, ff. de obsequiis parentib. & patro-* 19

& patronis præstand. quo loco Dominus qui servum suum nummis acceptis manumisit, beneficium ei tribuisse dicitur.

Sic aliâs etiam donatio illa, quæ non est mera liberalitas, sed ob causam in aliquem confertur, donationis, proindeque beneficii appellatione continetur, *l. 1. in prin. l. Aristo. 18. §. 1. l. Aquilius 27. l. Si pater 34. §. 1. ff. de donationib. l. 2. & l. 3. C. de donat. ob causam dator.*

Accedit huc & illud, quod venditio viliori precio facta non solum venditio est, sed & donatio, proindeque etiam beneficium, *l. Si quis 38. ff. de contrah. empt. & vendit.*

Quinetiam feudum quoque emptum nominatim & disertè beneficium appellatur *in d. t. 20. lib. 1. feud.*

Nihil quoque nostræ decerpit conclusioni textus *in dict. Tit. 27. in prin. vers. feudum enim, lib. 1. feudor.* Nam in ea facti specie, quæ ibi proponitur, ullum feudum constitui planè negatur, & certe negatur non ideo, quod pecunia intervenit; quippe cum feudum pecuniâ emi possit, & hoc feudum verè feudum sit, ac beneficium dicatur, non minus, quam feudum aliud gratis sine precio adquisitum, ut supra ex juris feudalis textibus ostendi: Verum ob hanc solam causam, dicto loco feudum constitui ullum negatur, quod debitor pecuniæ egens, mutuam accipiendo

piendo pecuniam, & pignore creditori dato, in ipso ei pignore suo commissaria quoque lege feudum constituit, feudum, inquam, constituit, non quidem amore mutuo & honore, quem Vasallus Domino debet, motus, sed pecuniæ accipiendæ necessitate coactus, quod est contra substantiam feudi, quæ ut capite primo exposui, continetur fidelitate sive fide quadam, Das der Lehen Herr vnd Lehenman ein ander Trew vnnd Hold sein/ einer deß andern schaden verhüten vnd abwenden/ vnd der Lehenman seinem Lehen Herrn Ehr erzeigen solle. Non certè creditor amore, & honore afficit debitorem cui subvenire in necessitate ejus, & pecuniam illi mutuam dare, non aliter voluit, quam si nonmodò pignus in crediti securitatem, sed & ipsum pignus in feudum acceperit, quasi sub lege commissoria, id est, hac conditione, si die certo reddita non fuerit pecunia credita. Hujus constitutionis feudi causâ impulsiva cum sit non amor, & honor Domini, sed accipiendæ pecuniæ necessitas, qua premitur debitor, quoque levare eum creditor recusat, nisi & pignus sibi detur, & in ipso etiam pignore feudum sibi constituatur, si credita pecunia præfinito die non reddatur, certè feudi constitutio hæc nulla est, ut quæ substantiæ feudi omnino adversatur. Sic aliâs etiam in pignore lex, id est,

 pacto

pactio commissoria non valet: puta si hac lege, sive pacto detur creditori pignus, ut si ad diem certum pecunia credita non reddatur, ipsum datum pignus sit creditoris, *l 3. C. de pactis pignor.* Et quia pactum hoc injustum est, ideoque nec servandum, *arg. l. Epistola 52. §. Pactum ibi, justum ideoque servandum, ff. de pactis.*

Quod attinet Domini Vultej argumentū, eo moveri nihil debemus, hac ex causa, quod non dicimus, de feudi propria natura esse, ut feudum ematur, sed quod ipsa emptio non faciat, quo minus feudum propriam feudi naturam habeat, sive feudum ex eo non censeri improprium, quod à Domino Vasallus suis illud nummis emit, siquidem nihilominus feudum, ut ostendi, beneficium dicatur, cæteraque naturalia sua propria retineat, ad quæ saltē accedit illis planè salvis manētibus.

Et sicuti feudum ex eo non efficitur improprium, quod ab Ecclesia, vel à fœmina datur: sic etiam improprium non efficitur ex eo, quod interveniente pecunia adquiritur.

Naturam feudi propriam ipsi feudo jus tribuit, qua salvâ manente, si quid ex placito Domini etiam Vasalli ad feudum accesserit, nihil est, cur feudum proprium esse desinat: quippe cum id, ex quo proprium est, & dicitur, salvum retineat. Non impedit hanc sententiam textus *in Tit. 2. in prin. lib. 1. feud.*

Est

Est enim exaudiendus vel de advocatiæ, defensionisq; causa dato feudo, ut Cujac. sentit; vel de feudo, ꝙ pro mercede oneris alicujus est concessũ, de quo *in Tit. 81. in Extra. capit.*

Postremò ab hac sententia dejicere non debet quemquam, quod feudum emptum communibus votis, ut supra ostendi, feudis impropriis connumeratur. Non enim ex multitudine Auctorũ, quod melius & æquius est, judicari debet, cum possit unius etiam sententia & multos, & majores aliqua in parte superare auctores; ut Iustianus scribit, *in orat. de conception. Digestor. §. Sed neque 6. & in l. 1. §. Sed neque 6. C. de veteri jur. nucl.* Id quod sentit etiam Ulpian. Iurisconsultus *in l. Quod dicitur, 5. §. Pen. ff. de impensis in res dotales fact.* Ubi sed etsi, ait, plerique negent, tamen propter æquitatem Marcelli sententia admittenda est. A communi quidem opinione neque in consulendo, neque judicando recedendum est, ut post alios etiam Sichard. *sentit. ad l. 2. num. 6. C. de jure emphyteut.* & religio hodie maxima est, à communi Dd. opinione discedere, *Palæotus lib. singulari de Nothis & spuriis, cap. 46.* Verum communis opinio, quæ jure non probatur, licitè spernitur, Anton. de Butr. & Abbas ad c. 2. extra de usur. & nova opinio etiã unius autoris contra cõmunem teneri debet, quando melioribus fundata est rationibus, Ioan. Andr. *ad c. 1. X. de constit. & Curt. jun.* 20

consil. 63 num. 3. Cum facilè eveniat, ut quæ ab aliis scripta sunt, alii sine altiori inquisitione sequantur, & illis alii, sicuti grus gruem volando, ovis ovem sequitur.

Tunc demum communes sequimur opiniones, quando vel textibus muniuntur, vel certè nulli textus, nullave ratio juris apertè refragatur, Zas. *ad l. 2 §. Post hunc maximè in verb. Innovare instituit ff. de orig. jur.*

Cæterum, non modò illud est improprium feudum, cujus indoles, & natura lege feudali est aliena à communi feudorum consuetudine, ac qualitate, sed & quod pacto investiturali deposuit communem feudorum naturam, *per text. in Tit. 48. lib. 2. feudor.*

21 Hinc illa controversa quæstio, conditionatum feudum sitne proprium, vel improprium feudum? Feudum dari potest ad certum aliquod servitium, ut quod nominatim in investitura exprimitur, *textus est in Tit. 23. in fin & Tit. 51. de Capitan. qui curiam vendidit §. ult lib. 2. feudor.* Veluti, ut Vasallus diebus festis vxorem Domini in templum euntem honoris causa comitetur, *Tit. 2. §. Præterea lib. 2. feud.* vel ut hostilitatis tempore portas arcis Domini claudat, & recludat, Zas. *in epit. jur. feud. dict. part. ult.* Vel ut tempore nundinarum Francofurtensium

ſium mercatores per Domini provinciam deducat: Cujuſmodi ſervitia in Germania noſtra ſunt uſitatiſſima: vel ut certis diebus Domino in menſa miniſtret, *Laudenſ. ad Tit. 1. num. 12. lib. 1. feudor. Borcholt. in Commentar. in conſuetud. feudor. cap. 1. num. 28.*

Atque hoc feudum, conditionatum beneficium ſive feudum appellant, *Tit. 75. in extraord. cap.* Zaſ. *in epit. jur. feud. part. ult. num. 13.* Petr. Rebuffus *in arbore feudali, diviſ. 13.* Bartholom. *Camerarius in repetit. l. Imperialem, §. Præterea de prohibit feudi alienat. per* Frider. *pag. 775* Sonsbeck. *in commentar. in uſus feudor. part. 4. num. 40.* Frider. Schenck. *Baro, ad Tit. 1. §. ult. lib. 3. feudor.* 22

Hujuſmodi autem feudum communi quidem Interpretum ſententia impropriumdicitur feudum, ut præter alios tradunt etiam Schrader. *in Tractat. feudal. part. 2. cap. 4. num. 12. &* Herman. Vultej. *lib. 1. de feudor. cap. 8 num. 49.*

At Sonsbeck. *dict. part. 4. num. 40* conditionatum feudum propriis connumerandum putat feudis, eò, quod illius etiam mentio fit in definitione feudi propoſita *in Tit. 23. §. ult. in fin. lib. 2. feudor.*

Ego diſſidium hoc componendum reor per hanc diſtinctionem; Aut præter, id eſt ultra naturalia ſive uſitata feudi ſervitia pro-

mittit suo Domino Vasallus aliud aliquod, non consuetum servitium; puta, ut uxorem Domini diebus festis in templum euntem comitetur; cujusmodi servitium Vasallus non debet suo Domino, si nominatim in investitura id cautum non fuerit, *per text. in Tit. 2 §. Praeterea, si aliquis, lib. 2. feudor:* Aut verò consuetum & usitatum aliquod servitium certum in investitura praefinitum est & impositum Vasallo, ut illud solum, non aliud praestet: Id quod non repugnante feudorum jure fieri potest: Siquidem omne servitium feudale praeter illud, quod fidelitate, sive fide feudalitia continetur, remitti Vasallo possit. *Tit. 104. in fine principii in extraord. capit.*

Priori casu feudum conditionatum proprium esse feudum existimo: quippe cum hic feudum conditionatum propriam feudi naturam non deponat, sed retineat: siquidem ad caetera etiam servitia ex natura feudi praestanda Vasallus Domino suo nihilominus teneatur, uti evincitur ex textu *in dict. Tit. 2. §. Praeterea si quis lib. 2. feudor.* & docet Philip. Corn. *consil. 239. num. 31. vol. 1.* & eum secutus Schrad. *dict. part. 2. cap. 4. num. 15.* Non obstat, quod de natura feudi non est, ut inusitatum aliquod servitium Vasallus Domino praestet. Proprium enim feudum aestimatur ex duabus rebus: Prior

est

est naturalis & ingenita qualitas feudi, ut quæ lege feudali, non placito Domini, & Vasalli imponitur feudo: Altera res est, ut ea naturalis qualitas sit communis, usitata, & consueta feudi qualitas, *Tit. 48. lib. 2 feudor. junct. Tit 2. §. Praeterea, ibi praeter communem feudi rationem lib. eod. feud.* Quodcunque ergo feudum hanc feudi propriam habet naturam, licet ad eam accesserit quoddam extrinsecum accidens, feudum tamen est proprium.

Posteriori casu feudum hujusmodi improprriis feudis accensendum judico: siquidem à cæteris non expressis nominatim naturalibus, id est, usitatis feudi servitiis liberum sit, atque ita natura ejus propria immutata sit, *per text. in dict. Tit. 48. libr. 2. feudor.*

Quid verò in dubio censendum, si expressè reliqua naturalia, id est, usitata feudi servitia Vasallo non sint remissa in investitura, sed simpliciter unum ex his servitiis ei sit præfinitum, nunquid tacitè id actum videtur, ut liber sit Vasallus à cæteris extrinsecis, id est, à fide feudalitia alienis servitiis? Ajentem sententiam probo: tum quia specialiter, & nominatim expressum cessare facit tacitũ *l. si cum dotem 22. in prin. ff. solut. matr. l. cum ex filio 39. §. Filio, ubi* Bart. *& alii, ff. de vulg. & pupil. substit. l. ult. C. de pactis conventis*

tam super dote, l. Maritus 21. vers. sui autem, C. de procurat. l. cum de lanionis 18. §. Cui fundum, 11. & §. pen. ff. de instruct. vel instrum. legato: tùm quia inclusio unius est exclusio alterius, *l. Cum Prætor. 12. in prin. ff. de judic. Menoch. consil. 158. num. 29. vol. 2. Corsetus in singularib. in verb. argumentum*: tum etiam quia expressio supervacua esse non debet, *arg. l. Si quando, 112. in prin. ff. de legat. 1.* Atque hanc affirmatam opinionem tenet quoque Schrad. *Tractat. feud. part. 2. cap. 4. num. 15. & part. 6. cap. 6. num. 4.* Ioan. Borcholt. *in commentar. in consuetud feud. cap. 1. num. 28* Quocirca & hoc casu feudum est improprium, cum ab eo propria feudi natura in servitiis sit remota.

Quia verò, quod antea dixi, Vasallum, qui inusitatum aliquod servitium, quod ex natura feudi præstandum non est, Domino suo in investitura promisit, ad cætera nihilominus servitia obstrictum esse, quæ ex feudi natura exhibenda sunt, in dubium vocari posset, propter rationes modò adductas de uno aliquo naturali servitio præstando, iccirco in confirmationem ejus sententiæ diligenter notandus est textus *in dict. Tit. 2. §. Præterea si aliquis lib. 2. feud.* Ubi casus proponitur, quo affirmante Domino sibi à Vasallo promissum esse inusitatum aliquod servitium, ipse Vasallus id planè negat, & tale servi-

ſervitium præſtare omnino recuſat. Et quia leve aliquod illud eſt ſervitium, puta comitari uxorem Domini diebus feſtis in templum euntem, certè illud exhibere non denegaſſet Vaſallus, ſi à cæteris uſitatis ſervitiis pro hoc uno liber fuiſſet.

Quod attinet feudum ex pacto inveſtituræ ad fœminas quoque tranſitorium, licet Sonsbeck. *dict. part. 4. num. 40.* proprium id feudum eſſe affirmet, hac ratione, quod illius quoque mentio fiat in definitione feudi, propoſita *in dict. Tit. 23. in lib. 2. feudor*; Hæc tamen ejus opinio minimè ferenda eſt; cum feudum hoc propriam feudi naturam non habeat; tum quia non niſi ex pacto ad fœminas tranſit, ut diſertè arguit textus *in dict. Tit. 23. in fin. Tit. 50 in prin. ibi, non filia niſi ex pacto, lib. 2. feudor. & Tit. 8. § Filia verò, lib. 1. feudor*: tum etiam quia licet ex pacto ſuccedat in feudum fœmina, non tamen omni caſu ſuccedit, ſed tantum deficientibus maſculis, *Tit. 6. §. Quinetiam, dict. Tit. 8 §. Filia verò, lib. 1. feudor. & Tit. 17. §. Cumque inter ſapientes, & Tit. 30. ibi, deficientibus filiis, lib. 2. feudor.* Cum tamen ex natura feudi omnes maſculi ſuccedant ſemper, & quidem in partes æquales, *dict. Tit. 8. §. 1. lib. 1. feudor.* Non obſtat, quod in feudi definitione agitur etiam de feudo, quod ad fœminas ſucceſſionis jure pertinet. 24

Non enim ex natura feudi, sed ex speciali pacto investiturę ad fœminas pertinere feudum definitio illa his ostendit verbis, *si de his nominatim dictum sit.*

25 Porrò feudi natura alia separabilis est, alia
26 inseparabilis. Separabilis feudi natura est, quæ conventione Domini & Vasalli à feudo submoveri potest. Ejusmodi feudi natura variis continetur rebus: puta constitutione eius in re immobili, retentione proprietatis rei feudalis, successione masculorum, non fœminæ, perpetuitate feudi, servitiis Domino præstandis &c. Etsi enim hæc omnia, & id genus alia, de natura feudi sint, ut arguit definitio feudi tradita ab Oberto de orto *in dict. Tit. 23. §. ult. lib. 2. feudor:* placito tamen Domini & Vasalli à feudo removeri possunt. Effici enim potest conventione ipsorum, ut feudum in re mobili, puta pecunia constituatur, ut exposui capite superiori *ex Tit. 8. in prin. & Tit. 25. lib. 2. feudor.* Item ut proprietas rei feudalis non apud Dominum remaneat, sed ad Vasallum transeat, ut similiter capite præcedenti ostendi: tum etiam ut feudum non solum ad masculos, sed & ad fœminas pertineat, ut paulò ante docui: ut & ne feudum perpetuò, sed ad tempus duntaxat Vasallus ejusque liberi habeant, *per text. in Tit. 2. in prin. & tit. 11. lib. 1. feud.* Item ne Vasallus servitia Domino

præstet,

præstet, *Tit. 104. in fine prin. in extraord. cap.*

Inseparabilis feudi natura est illa feudi adjuncta qualitas, quæ Domini, & Vasalli conventione à feudo separari nequit. Ejusmodi 27
natura feudi continetur investiturâ. Feudum 28
enim volente Domino jam primò datum sine investitura nullo modo constitui potest, *Tit. 25. in lib. 1. feud. & Tit. 1. §. ult. lib. 2. feudor.*

Est quoque hujus generis ea feudi natura, 29
quæ in fructuũ perceptione consistit. Quod enim fructus rei feudalis ad Vasallum pertineat, *dict. Tit. 23. in fin. ibi usufructus verò li. 2. feud.* id adeo perpetuum est, ut pacto effici non possit, ne fructus ad Vasallum spectent; siquidẽ adempto usufructu ipsi Vasallo, totum ei feudum censeatur ademptum, *arg. l. Per servum 14. §. 1. ff. de usu & habitat.*

Similiter de inseparabili feudi natura est, 30
ut Vasallus tributũ & censum ex prædio feudali fisco præstet; cum pacto neutiquam effici possit, ne possessor prædii tributum ex eo solvat, *l. 1. 2. & 3. C. Sine censu vel reliquis fundum comparari non posse.*

Est item inseparabilis feudi natura, ut pro- 31
pter feloniam Vasallus feudum amittat: cum pactum, ne futurus dolus præstetur, nullum sit *l. Si unus 27. §. Illud, ff. de pactis.*

Sic precarii natura inseparabilis est, ut is, 32
qui accipit rem precario tandiu utatur ea, quandiu Dominus concedens patitur;

quippe

quippe cum pactio, ut precariò rogans ad certum usque tempus rem precariam possideat, nulla sit, salvo manente precario, *l. Cum precario, 12. in prin. ff. de precario.*

33 Societatis quoq; natura inseparabilis est, ut quisque socius lucrum, & damnum sentiat. Pacto enim effici non potest, ut alter socius lucrum solus, alter damnum totum, aut partem damni, nullam lucri partem sentiat, *l Si non fuerint 29. § ult. ff. pro socio.*

34 Quemadmodum & illud, ut socii à societate abeundi facultatem habeant. Siquidem pactum nullum sit, quo agitur, ne à societate abeatur, *l. Si convenerit 14. ff d t.* Cum nemo invitus compellatur in societate manere, *l. ult. C. communi divid.*

35 Et denique illud, ne heredes sociorum societati succedant, *l. Adeo 59. in prin. ff. Pro socio, l. Nemo 35. & l. Actione 65. ff. d. t.*

36 Ex his, quæ de substantia, & natura feudi hactenus dicta sunt, satis superque evincitur aliud esse substantiam, aliud item naturam feudi: proindeque malè confundi à recentioribus quibusdam substantiam & naturam, ut contractus cujusque, sic & feudi. Sed quia in substantia & natura contractus & feudi distinguenda opus est ingenio, & quidem instructo, ut scribit Alciat. *ad l. 4. ff. de reb. credit.* & Gabriel Mudæ. *in commentar. ad Tit.*

Tit. ff. de contrah. empt. & vendit. præ. 5. nu. 16. iccirco prædictis sequentia addo.

Substantia est essentialis forma, per quam 37
contractus aliquis, vel feudum est id, quod est, & à cæteris rebus distinguitur.

Natura verò est adjuncta qualitas quædam, autoritate juris ipsi contractui, aut feudo suâ substantiâ sive essentiali formâ jam existenti tributa. Et quod dialecticis est rei cujusdam forma sive specifica differentia, id Iurisconsultis est substantia ut contractus, sic & feudi: & quod logicis est rei alicujus proprium & accidens naturale, sive ingenitum, vel ut Petr. Ramus loquitur, adjunctum proprium, & commune, id Iurisconsultis est natura, ut contractus, sic & feudi: ut proinde minimè hęc confundi & pro iisdem haberi queant. Et quamvis ut contractus, itemque feudi substantia mutari nequit, salvo manente ipso contractu ac feudo, *l. Iulianus 9. § Sed si quis 3 ff. ad exhibend:* Ita nec mutari, sive submoveri possit natura quædam contractus, itemque feudi, ut paulò ante ostendi: Nihilominus tamen alia substantiæ conditio est, alia verò naturæ. Mutata substantia, id est, forma rei essentiali, res ipsa interit, & esse desinit, *d. l. Iulianus 9. §. Sed si quis, ff. d. t.* Unde si convenerit inter Dominum & Vasallum, ne fidelitas, sive fides feudalitia invicem præstetur, feudum consti-

constitui non potest,& quod antea constitutum est, perimitur, *per text. in Tit. 27. §. 1. Feudum enim, lib. 1. feudor.* Idque etiam ex eo arguitur, quod si inter emptorem & venditorem pacto agatur, ne huic ille precium, quod est substantia emptionis, *l. Pacta conventa 72. in prin. vers. Quoniam emptionis, ff. de contrah. empt. & vendit.* pro merce det, sed quid aliud faciat, emptio nulla contrahitur, *l. Insulam 6. ff. de praescript. verb. & l. Tenetur 6. §. 1. ff. de actionib. empt. & vendit.* Etsi post contractam emptionem ex conventione emptoris & venditoris augeatur vel minuatur precium prius constitutum, receditur à priori contractu, & nova emptio intercedit, *d. l. Pacta conventa 72 §. 1. in fin. ff. de contrah. empt. & vendit. l. Iurisgentium 7. §. Ideo 6. ff. de pactis.*

88 Verum licet de inseparabili natura feudi, aut contractus conventio interponatur ad submovendam naturam, attamen non modò substantia, sed & haec natura feudi, vel contractus salva & immutata manet, & solum conventio illa pro non adjecta habetur, *l. Cum precario 12. in prin. ff. de precario.*

89 Non obstat etiam text. *in l. Si non fuerint 29. §. Aristo. ff. Pro socio,* ubi nulla dicitur societas, quae hoc pacto adjecto est contracta, ut alter socius lucrum capiat, alter duntaxat damnum sentiat. Etsi enim pactum

illud

illud sit contra societatis naturam, ut arguit text. *in* §. *De illa sanè, vers. Quintus Mutius, Instit. de societat*: Non tamen ex eo, quod *in dict.* §. *Aristo*, nulla dicitur ea societas, cui ejusmodi pactum est adjectum, sequitur necessariò, quod natura & substantia idem sint. Eo enim in §. nulla societas, Iurisconsulto est nulla societatis communio, non contractus societatis. Sic aliâs sæpè societatis nomen significat non contractum ipsum societatis, sed communionem, quæ est inter socios, *ut in l. 6. ibi, Partes societatis, & in l. Idemque in prin. ibi, Societatem administrare, item ibi, Societatis administratio, l. & ideo 26. ibi, Societatem auxisset, ff. Pro socio.*

Communio ejusmodi nulla est, ut alter socius lucrum solus, alter solus damnum sentiat; cōtractus tamē societatis consistit, & pactio saltem illa de ejusmodi communione pro non adjecta habetur, ut arguit disertè textus *in dict.* §. *De illa sanè ibi, Et ob id non esse ratam habendam pactionem, Instit. de societate.*

Lucri communicatio de natura societatis est, non de ejus substantia. Etsi enim in ipso societatis contractu nihil de lucri communicatione agatur: attamen ipsum lucrum inter socios est commune, *l. Coiri 7. & l. seq. ff. pro socio, & text. in prin. Tit. Instit. de so-*

de societat. vers. Et quidem si nihil. Est ergo de natura societatis communicatio lucri, & quidem de natura ejus inseperabili cum per pactum à societatis contractu submoveri non possit, sed ipsum pactum saltem rejiciatur, & pro non adjecto habeatur.

Substantia autem societatis contractus illius est conventio communionis habendæ causa facta, *l. ut sit pro socio, 31. in prin. & l. seq. l. planè 37. & l. Si margarita 44. ff. pro socio.*

Nihil quoque refragatur textus *in l. Iurisgentium 7. §. Quinimò vers. Idem responsum, ibi extra naturam contractus, ff. de pactis*, Eo enim loco natura contractus, non est substantia contractus, licet Accurs. *ibidem* id existimet, & eum secutus Cujac. *lib. 2. observat. cap. 15. in fin.* Sed est naturalis qualitas contractus. Ait enim Iurisconsultus Vlpianus, EXTRA NATURAM CONTRACTVS, loquitur ergo de contractu vi suarum causarum jam existente, & ostendit quòd ejus existentis contractus aliqua sit natura, quæ legis autoritate ad eum jam existentem accesserit; item quod præter illam naturam ex pactione contrahentium ipsi contractui aliquid accedere queat, quod peti ejusdem contractus actione eatenus possit, quatenus confestim, non ex intervallo contractui fuerit adjectum, non etiam, si adjectū sit ex intervallo.

CAPUT.

CAP. III.

De feudi accidente.

1. Quid sit feudi accidens.
2. Accidens feudi appellant accidentale feudi.
3. Accidentia contractus vocant Dd. accidentalia contractus.
4. Accidens feudi quid differat à substantia, quid item à natura feudi.
5. Distributio accidentis feudi.
6. Pacta vel adjiciunt aliquid contractibus; vel eis quid detrahunt.
7. Quæ pacta investituræ licita sint, quæ illicita & prohibita.
8. Quæstio, an Dominus, rem alienam in feudum ignoranti Vasallo concedens, de evictione teneatur?
9. Sitne licitum investituræ pactum, ut Vasallus propter filii delictum feudo privetur, quæstio est dubia.
10. Pactum investituræ an sit licitum, ut in lite de feudo nudæ assertioni Domini credatur.
11. Pactum an valeat, quo agitur, ut domino liceat Vasallum in casu non præstiti servitii per literas diffamatorias publico in loco intimatas traducere; & probrium ei impunè objectare.
12. Fidem fallere grave est: quinetiam nafarium, & perfidiosum.
13. Conventio obstagii sitne licita, vide quoque nu. 21.
14. Alapam volenti dare, non est injuria.
15. Quæ lædunt pietatem, existimationem, & verecundiam nostram, facere nos haud posse, credendum est.
16. Promittere illud possumus; quod salvâ dignitate nostra possumus.
17. Cum vituperatione quod est conjunctum, recipere in se nemo potest.
18. Iudiciorum vigor, jurisque publici tutela in medio constituta est, ne quisquam sibi permittere valeat ultionem.
19. Non est singulis concedendum; quod per Magistratum publicè fieri potest.

20. Ad arma, & rixam ut procedant magiſtratus pati non debet, quos poteſt juriſdictione ſua componere.
21. Infamis nemo efficitur convitio alterius.
22. Obſtagij conventio iure noviſſimo prohibita eſt.
23. De interpretando inveſtituræ pacto quatuor regulæ notandæ ſunt.
24. In dubio verbis inſervire tutius eſt, & melius.
25. Verba loquentis mentem demonſtrant.
26. Tenor inveſtituræ ſervandus eſt, licet ſit contra feudi naturam ſeparabilem.
27. Ab inveſtitura prima ſi varient ſequentes, ſtandum eſt inſtrumento primæ inveſtituræ.
28. Omiſſo primo inveſtituræ inſtrumento, ultimum quod extat, factum præſumitur ad rationem inveſtituræ primæ.
29. Verba inveſtituræ obſcura interpretationem accipiunt ſecundum morem de feudis loquendi viſitatum in loco, ubi inveſtitura eſt facta.
30. De conſuetudine ſpeciali quando non conſtat, inſpicitur communis feudi natura.
31. Pactum inveſtituræ dubium, quod eſt præter feudi naturam, interpretamur contra Dominum pro Vaſallo, ſi huic onus aliquod imponat.
32. Pactum inveſtituræ, quod videtur eſſe contra feudi naturam, interpretamur in dubio contra Vaſallum pro Domino.

1. RESTAT, ut diſpiciamus de feudi accidente. Accidens feudi eſt, ea feudi adjuncta qualitas, quæ ex conventione Domini & Va-
2. ſalli feudo acceſſit. Dd. accidentale feudum appellant, Zaſ. *in epit. jur. feudal part. 1. in fin.* Schrader. *Tract. feud. part. 2. cap. 2. nu. 49.* ut contractus alicujus accidens hujuſmodi
3. Dd. vocant accidentale contractus. Bald *ad l. Pacta conventa, 72. ff. de contrah. empt. & vendit.* Coras. *lib 3. miſcel. ca. 10.* Gabriel Mudæ. *in commentar. de empt. & vend. part. 5. nu. 19.*

Acci-

Accidens feudi genere differt à feudi ſubſtantia, quæ qualitas non eſt, ſed eſſentialis forma feudi, ut capite primo expoſitum eſt. A natura feudi illud differt accidens feudi, quod feudi natura ipſo jure tributa eſt feudo, ut capite ſuperiori traditum eſt; Accidens verò ex conventione, puta pacto vel ſtipulatione Domini & Vaſalli ipſi feudo acceſſit; quę conventio placitis feudorum tenor feudi appellatur, *Tit. 6. §. Quinetiam, ibi, Si quis eo tenore feudum acceperit, lib. 1. feud. & Tit. 2. §. Præterea ibi ſi aliquis tenor à Domino dicatur interveniſſe. Item ibi, liceat & tenorem probare, lib. 2. feudor.* 4

Duplex autem circa feudi accidens incurrit inſpectio; Una de ejus diſtinctione, altera de interpretatione conventionis, ſive tenoris feudi. Accidens feudi eſt duplex: aut enim præter, id eſt, ultra naturam feudi acceſſit ad ipſum feudum; aut verò eſt privatio quædam naturæ feudi. Prioris generis eſt ſervitium feudi inſolitum, ut quod Vaſallus feſtivis diebus uxorem Domini ad ædem ſacram euntem ex pacto inveſtituræ comitari tenetur, *dict. Tit. 2. §. Præterea lib. 2. feudor.* Ejuſdem quoque generis eſt fæminarum in feudum maſculinum ſucceſſio, *dict. Tit. 2. §. Præterea, verſ. Item ſi Vaſallus; lib. eod. feud.* Poſterioris verò generis eſt libertas à præſtandis ſervitiis, *Tit. 104. in fin. in extraord. cap.* 5

Sic jure communi in contractibus pacta, quę eis adponũtur, vel adjiciunt aliquid contractibus, & eorum naturæ, vel detrahunt ipsis contractibus naturam ipsorum, *d. l. Pacta conventa, 72. in prin. ff. de contrah. empt. & vendit. & l. Contractus 23. §. Sed hæc ita, ff. de reg. jur.*

Quemadmodum verò non omnis natura feudi per pactum ei detrahi poteſt, ut capite præcedenti traditum eſt, ita nec quodlibet accidens per inveſtituræ pactionem, ſive tenorem ei poteſt adjici. Unde hic diſpiciendum nobis, quæ licita ſint pacta inveſtituræ
7 de feudi accidente, quæ item illicita. Licitum eſt illud pactum, ut Dominus Vaſallo, etiam ſcienti rem alienam in feudum dari, evictionem præſtet. Citra enim hanc pactionem Dominus de evictione ſcienti Vaſallo non tenetur *Tit. 8. in prin. lib. 2. feud. l. Si fundum 27. C. de evict.*

Non obſtat quod is, qui ab herede rem alteri ſub conditione legatam, ſciens eam legatam eſſe, emit, eâ per legatarium evictâ, precium repetere ab herede poteſt, *l. ult. §. ult. C. communia de legat. & fideicommiſſ.* Non enim malæ fidei emptor eſt, qui rem alii ſub conditione legatam ſciens emit: quippe cùm res non ſit planè aliena: ſiquidem pendente conditione adhuc heredis ſit: & multis caſibus fieri poteſt, ut non exiſtat condi-

tio

cio legati, Fransc. Balduin. *in Iustiniano suo pag. 33.*

Nunquid verò Dominus rem alienam in feudum concedens ignoranti Vasallo de evictione tenetur? Etsi feudorum jure id disertè sit traditum *in dict. Tit. 8. in prin. & Tit. 25. lib. 2 feudor.* dubium tamen movere potest, quod feudum est aliquod beneficium, *Tit. 23 §. ult. lib. 2. feudor.* quodque ille, qui rem alienam alicui donat, de evictione obligatus non est *l. Aristo. 18. §. ult. ff. de donat.* Sed responderi potest, allegatam legem exaudiendam esse secundum subjectam materiam de propria scilicet donatione, quæ ex mera liberalitate, & munificentia in aliquem confertur, *l. 1. in prin. ff. d. t.* Cujusmodi donatio non est feudi concessio, siquidem ob servitia, & fidem præstandam in Vasallum conferatur, atque ita ob causam aliquam tribuatur, *Tit. 21. in prin. vers. vel si Dominus suis, lib. 1. feudor. Roland. à Vall consil 50 nu. 28. vol. 3.* & donatio quæ ob causam aliquam confertur propriè donatio non sit, *d. l. in prin. vers. Item cum quis, ff. de donat.* Sed contractus innominatus, do, ut facias, *l. 2. & l. 3. C. de condict. ob causam dator.* 8

Quæritur de hoc tenore sive pacto investituræ, quo agitur, ut propter filii delictum pater etiam feudum amittat, an scilicet licitum sit, nec ne? Illicitum hoc esse pactum 9

asserunt Bart. *ad l. 1. num. 12. C. de iis, quæ pœnæ nomine in testamento vel Codicil. relinquuntur.* Iason. *ad §. actionum. num. 87. Instit. de actionib.* Matth. de Afflict. *ad Tit. 55. §. Insuper, num. 7. lib. 2. feudor.* & Iacobin de S. Georg. *in Tractat. de feud in verb. Qui quidem investiti num. 62.* Ludolphus Schrader. *Tractat. feudal. part. 9. secundæ pactis principalis, sect. 1. num. 2.* atque hoc ipsorum effatum juri consonum esse videtur: quippe cum jure cautum sit, ut ibi sit pœna, ubi est noxia, atque peccata suos teneant auctores, nec ulterius progrediatur metus, quam delictum reperitur, *l. Sancimus 22. C. de pœnis, c. Non imputantur, 1. quæst. 4.* Et traditum est generaliter *in l. 1. 2. & 3. C. Ne filius pro patre, vel pater pro filio,* traditum est, inquam, ne pater pro filio inquietetur.

Verum ab isthac opinione cum Alvaroto, *num. 8.* Præposit. *num 2. ad Tit. 55. lib. 2. feudor.* secessionem facere dubito nihil; tum quia potest aliquis pœnam promittere alicui, si tertius quispiam aliquid fecerit, vel non fecerit, *l. Stipulatio 38. §. At si quis 2. & §. Si quis 21. ff. de verb. oblig.* tum etiam, quod in causis quoque criminalibus pœnam maximè pecuniariam concernentibus, pro reo quis fidejubere, atque ita pro alio se obligare potest, *l. 1. 2. & 3. ff. de Custodia reor.*

l. Gracè

Græcè 8. §. Sed etsi, 5. l. Si quis 16. §. ult. l. Si à reo, 70. §. ult. ff. de fide iussorib. tum postremò, quod consuetudine etiam introduci potest, ut pater pro filii delicto pecuniaria teneatur pœna, *c. 2. extra de dictis pueror.*

Conferunt item hûc, quæ tradit Didac. Covar. *lib. 2. Variar. resolutionum capit. 8. num. 7. & cap. 9.* Vbi ostendit non esse prorsus injustum, ut quis ob alterius culpam puniatur.

Non impediunt hoc negans pronunciatum nostrum textus in patrocinium alterius opinionis prius adducti. Iura enim illa habent saltem locum, ubi nihil in contrarium pactis nominatim fuerit cautum: conventione autem pecuniariam alterius pœnam in se recipere quis potest, cum quilibet licentiam habeat renunciandi his, quæ pro se introducta sunt, *l. Si quis in conscribendo, 51. C. de Episc. & Cler. l. Si quis 29. C. de pactis, & l. Si Iudex, 41. ff. de minorib.*

Vocari in quæstionem & illud potest, An 10
valeat investituræ pactum, ut lite à Domino in Vasallum mota nudæ assertioni Domini credatur, nec alia probatio ulla ab eo exigatur? Non valere hanc pactionē verius existimo; tum quia si valeret hoc pactū, Dominus ut judex sua sententia, & assertione litem

eam decideret, cum tamen iniquum sit, aliquem suæ rei judicem fieri, *l. un. C. Ne quis in sua causa judicet, l. Iulianus 17. ff. de judic. l. Jurisdictioni 10. ff. de jurisdict. l. 1. §. 2. Et continet. ff. Quod legator. l. Extat. 13. ff. Quod metus causa:* tum quia nullus idoneus testis in re sua intelligitur, *l. 1. Nullus 10. ff. de testib.* tum etiam quia si pactio hæc vires mereretur, Domini solius, & unius dicto fides haberetur, cum tamen unius testis testimonium non audiatur, etiamsi præclaræ curiæ honore præfulgeat, *l. Iurisjurandi 9. C. de testib. c. Licet universis 23. c. Licet ex quadam, extra eod. tit. l. ubi numerus 12. ff. d. t.* tum postremò quia pactum, quod invitat ad delinquendum, quale hoc pactum est, cum ad mendacium invitet, probandum non est, *l. Illud 5. ff. de pactis dotalib.*

Non obstat, quòd nihil magis congruum sit fidei humanæ, quam ea, quæ placuerunt, servare, *l. 1. in prin. ff. de pactis l. 1. in prin ff. de constit. per. & l. Non minorem 20. C. de transact.* quodque unusquisque favori suo renunciare potest, *d. l. Si quis in conscribendo 29. ff. de pact. l. Si judex 41. ff. de minorib.* Hæ enim procedunt sententiæ in his, quæ juri divino & publico contraria non sunt, Ea enim ne Principis quidem decreto mutari possunt, Ias. Bart. *& alii ad l. ult. C. Si contra jus vel utilitat. public.* Panor. Felni. *& alii*

Can.

Can. ad c. Quæ in Ecclesiarum, extra. de constit. Quod autem jus divinum circa inquisitionem veritatis deroget fidem pauciori numero testium, quam trium, aut duorum, patet ex Matth. *capit. 18. & Deut. capit. 17.* Item pactum, ex quo resultat & datur occasio delinquendi, probandum non est, *l. Illud 5. in prin. ff. de pact. dotalib.* Ias. *ad l. Si quis 29. C. de pact.*

Est & illa magni momenti quæstio, valeatné investituræ pactum, ut Domino liceat Vasallum in casu non præstiti servitii per literas diffamatorias publico in loco intimatas, traducere, atque ei probrum impuné objectare? Ajenti sententiæ juris autoritas omnino suffragari videtur. 11

Cum enim grave sit promissam fallere fidem *l. 1. in prin. ff. de constit. pecun.* Quinetiam nefarium & perfidiosum, ut Cicero *lib. 1. & lib. 3 de offic. & in Orat. pro Roscio Comœdo,* scriptum reliquit; & in specie Vasallus ut & Dominus perfidi & perjuri dicantur, si debitam fidem frangant, *Tit. 6. in fin. lib. 2. feudor.* certè non illicitum censetur pactum, quo convenit inter Dominum & Vasallum, ut hic si debitum servitium non præstiterit, ab illo diffamari publicè queat, siquidem jure permittenti nocentem infamare quis possit, *l. Eum qui nocentem 18. in prin. ff. de injur.* 12

Accedit huc, quod Vasallo non exhibenti promissum Domino servitium injuria fieri non potest, quando ob eam rem probrum illi objicitur, cum injuria pertineat ad imminuendum alicujus honorem *l. 1. §. Omnemque 2. & §. usque adeo 5. ff. de injur.* Vasallus autem ob denegatum Domino servitium factus jam perfidus, & perjurus honore decoratus sit nullo, eò quod perjurus est infamis *l. Si quis major. 41. C. de transactionib.* Qui jam ante infamis est, ejus dignitas & honor lædi non dicitur: cum non entium nullæ sint qualitates.

Confert eodem, quod nulla est injuria, quæ fit in volentem, & consentientem, *d. l. 1. §. usque adeo 5. in fin. ff. de injur. c. scienti, Tit. de reg. jur. in 6. l. In diem, 8. §. 1. ff. de aqua & aquæ pluviæ arcend.* quodque nunquam volentibus dolus infertur, *l. Cum donationis 34. C. de transact.*

13 Adhæc conventio, ut debitor in eventum non solutæ die constituto pecuniæ, se in obstagium ponat, jure canonico probatur, *c. Ex rescripto, 9. extra de jurejurand.* Et in Recessu Imperii de anno 1548. *Tit.* Von wucherlichen contracten §. ult. admittitur, modò non extra imperium obstagium fiat. Valere ergo videtur & hoc, de quo agimus, investituræ pactum.

14 Quinetiam Bart. *ad d. l. 1. §. usq. adeo, 5. nu. 2. vers.*

7. *vers. Quandoq; quis permittit ff. de injuriis*, disertè docet, quod si quis permittat alicui & contentus sit, sibi dari alapã, ea ipsi rectè impingatur, nec inde injuriarũ actio nascatur.

Sed his nihilobstantibus negantem sententiam juri propiorem esse judico. Quæ enim lędunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est, *l. Filius 15. ff. de conditionib. instit.* 15

Atque illud promittère alii possumus licitè, quod salva dignitate nostra possumus, *l. Nepos Proculo, 125. in fin. ff. de verb. signific.* 16

Et recipere quis in se non potest, quod cũ vituperatione conjunctum est, *l. vestis 23. §. 2. vers. Muliebria, ff. de auro & argento leg.* 17

Iuvat eandem hanc conclusionem text. in *l. Nullus 14. C. de judeis*, ubi Impp. Iccirco, aiũnt, judiciorum vigor, jurisq; publici tutela videtur in medio constituta, ne quisquam sibi permittere valeat ultionem. 18

Accedit text. *in l. Non est singulis 176 ff. de reg. jur.* ubi Paul. ICus. Non est, infit, singulis cõcedendum, q̃ per magistratũ publicè fieri possit; ne occasio sit majoris tumultus faciendi 19

Postremò robur addit huic nostro pronunciato textus *in l. Si cujus 13. §. Æquissimum, ff. de usufruct.* quò loco Ulp. Iurisconsultus post Iulian. & Celsum, Cur enim, ait, ad arma & rixam procedere patiatur Prętor, quos potest jurisdictione sua componere. 20

Non

Non tuetur contrariam opinionem, text. *in d. l. Eum qui 18. in prin. ff. de injur.* Est enim de eo, qui facinus alicujus publica dignum pœnâ divulgat, & ut coerceri id possit manifestum facit. Quæstio autem nostra est de facultate objiciendi Vasallo non ipsum probrosum factum, quod gessit, sed infamiam, quæ inde ad delinquentem, vel jure, vel honestorum virorum opinione redundat.

21 Quod sequens attinet argumentum, nihil ideo decerpit illud decisioni nostræ, quod licet quis injuriâ afficiatur, non tamen inde honore & existimatione sua orbatur, ut apparet *ex l. un. C. de famosi libel.* & arguit etiam illud, quod lege, non alicujus convicio quis infamia notatur, *l. 1. & Tot. Tit. ff. de his, qui notantur infam ac tradit.* Donel. *lib. 15. commentar. cap. 38. pag. 504. vers. Nihil agit voluntas.*

Pertinet quidem injuria ad imminuendum honorem alicujus, si spectes voluntatem, & propositum ejus, qui injuriâ aliquem afficit; Verum propositum, & voluntas ea id efficere non potest, ut suus alicui honos adimatur. Est etenim injuria idem quod contumelia, & contumelia nihil aliud, quam contemptus alterius. *Tit. Inst. de injuriis in prin.*

Tertium argumentum ideo vires habet nullas, quia procedit in eo tantum, cui volenti infertur injuria incontinenti, dum vult, & quan-

& quando voluntas adhuc durat, ut tradit Bart. *ad d. l. 1. §. usque adeo 5. num. 2. ff. de injur.* & Matthæ. Coler. *in Tractat. de processf. execut. part. 1. cap. 8. num. 63. & seq.*

22 Ad 4 argumentum respondendum, quod jure canonico toleratur obstagii conventio jurejurando confirmata, non simplex & nuda obstagii conventio: quodque isthæc de obstagio conventio novissimo jure abrogata est, Reichs abscheidt / de anno 1577. *Tit. 17.* Geil. *libr. 2. de pace public. cap. 2. num. 6.*

Vltimum argumentum ab autoritate Bartoli ideo nihil obstat, quod est de eo, cui dum vult injuria infertur; quæstio verò nostra est de futura injuria.

23 Superest ratio interpretandi tenorem sive pactum investituræ. Quatuor autem regulæ de interpretando investituræ pacto notandæ sunt. Prima hæc est: Investituræ tenor non restringi, sed ut verba sonant, intelligi debet: quæ regula à Dd. communiter recepta, ut ostendit Menoch. *lib. 3. præsumpt. præsumpt. 92. num. 1.* & Hartman. Pistoris *lib. 2. quæst. juris, quæst. 1. num. 4.* verissima est.

24 In re enim dubia, ut Ulpian. loquitur, melius est verbis inservire; *l. 1. §. Licet 20. vers. In re igitur dubia, ff. de exercitor. act.* Et ut Paul. Iurisconsultus ait, cum in verbis nulla ambiguitas est, non debet admitti voluntatis

quæstio,

15 quæstio, *l.* Ille, *25. ff. de legat. 3.* Verba etiam dicentis eò pertinent, ut voluntatem ejus demonstrent; & nemo existimandus est dixisse, quod non prius mente agitaverit, ut Celsus Iurisconsultus scribit, *in l. Labeo 7. §. Servius 2. ff. de suppellect. legat.* Et qui aliud dicit, quam vult, neque id dicit, quod vox significat; quia non vult: neque id quod vult; quia id non loquitur, ut eleganter Paulus ait *in l. 3. ff. de reb. dubiis.*

16 Quamvis autem tenor claris expositus verbis contra feudi naturam sit, servari tamen debet; *Tit. 2. §. ult. & Tit. 18. & Tit. 48. libr. 2. feudor.* modò natura separabilis sit: alioqui, salvâ manente feudi naturâ inseparabili, pactum rejicitur, *arg. l. Cum precario 12. in prin. ff. de precario.* Vt etsi tenor, sive pactum sit illicitum, ut quod est contra jus publicum & turpe, ac contra bonos mores, *l. Iurisgentium 7. §. Et generaliter 16. l. Si unus 27. § Pacta quæ turpem, l. Ius publicum 38. ff. de pactis l. Pacta; 6. C. d. t. l. Nec ex Prætorio 27. ff. de reg. jur. l. Illud. 5. ff. de pactis totalib. l. Neratius 20. in prin. vers. Quia pacto, ff. de relig. & sumpt. funer. l. Quod bonis 5. §. 1. ff. ad leg. Falcid. l. 4. C. de inutilib. stipulat. & l. Si flagitii 123. ff. de verb. oblig.*

17 Quod si autem à primæ investituræ instrumento variet secundæ, tertiæ, vel sequentis investi-

investituræ instrumentum, tunc inhærendum est primæ investituræ instrumento, ejusque verba observari, & attendi debent: ut post alios docet Menoch. *libr. 3. præsumpt. præsumpt. 92. num. 2. & seqq.*

Si prima investitura non extet, sed tantum 28
adsit vltimæ investituræ instrumentum, tunc illud præsumitur factum ad rationem, & modum primæ investituræ, ut communiter Dd. docent, quos refert, & sequitur *Schrader. Tract. feud. part. 5. cap. 2. num. 44.*

Secunda regula hæc est: Cum verba teno- 29
ris propter varias significationes obscura sunt, & dubia, interpretatio eorum fieri debet secundum morem de feudis loquendi usitatum eo in loco ubi investitura facta, & pactum interpositum est, *per text. in Tit. 1. vers. usum tamen feudi, lib. 2. feud. l. semper 34. ff. de reg. jur. l. Si servus 50. §. ult. ff. de legat. 1. Berous. consil. 72. nu. 30. vol. 1. Menoch. consil. 104. nu. 22. lib. 1. & consil. 400 nu. 11. lib. 4.* In obscuris enim inspici solet, quod verisimilius est, aut quod plerumq; fieri solet *l. In obscuris 114. ff. de reg. jur.* Verisimile autem est Dominum & Vasallum loquutos fuisse more usitato in ea regione in qua versantur.

Tertia regula talis est: Cum investituræ 30
verba dubia sunt, nec de speciali consuetudine & observatione loci apparet, explicatio eorum fieri debet secundum communem

feudi.

feudi naturam. Regulariter enim cujusvis dispositionis verba accipienda sunt secundum materiam subjectam, *l. Si stipulatus, 4. in prin. vers. Quia non est verisimile; ff. de usurpat.* Et quod hoc casu juxta communem feudi naturam interpretatio pacti fieri debeat, tradunt Bald. *ad Tit. 40. lib. 2. feudor.* Iacob de Belviso; Bald. Alvarot. & alii *ad Tit. 2. §. ult. lib. eod. feud.* Iacobin. de S. Georg. *in Tract. feudal. in verb. Qui quidem investitis, num. 66.* Molin. *in consuetud.* Paris. *§ 5. num. 74.*

Hinc si feudum hoc tenore sit datum, ut in illud masculi, & fœminæ succedant, pactum hoc ita explicari convenit, ut dicamus fœminas ad feudi illius successionem admitti, non quidem unà cum masculis, sed masculis tantùm deficientibus; cum isthæc feudi natura sit, ut fœminæ in feudum non succedant, dum masculi extant, *Tit. 8. §. Filia verò lib. 1. feudor. & Tit. 30. lib. 2. feud.*

31 Quarta regula est hæc: Tenor investituræ, de quo dubitatur, si est præter; id est, ultra naturam feudi, & Vasallo onus aliquod imponit, contra Dominum, pro Vasallo præ-
32 sumptio fieri debet. Sin contra feudi naturam, & videtur Domini jus minuere, Vasalli autem jus augere, pro Domino, contra Vasallum juris præsumptio est, *per text. in Tit. 1. §. ult. lib. 2. feudor.* Confirmat eandem

hanc

hanc regulam *d. l. Semper 34. in fin. l. In ambiguis 96. & l. In contrahenda 172. ff. de reg. jur. l. Veteribus 39. ff. de pact. l. stipulatio ita 38. §. In substitutionibus, 18. & l. Quicquid 99. in prin. vers. Ac ferè ff. de verb. obligat.* Ex quibus locis omnibus satis superque constat, errare eos, qui indistinctè pro Vasallo contra Dominum in dubio interpretationem fieri debere tradunt, ut sunt Iacob de Leonard. *num. 132. consil. 117. inter consilia feudalia ab Alberto Bruno collecta*, Menoch. *consil. 148. lib. 2. & lib. 3. præsumpt. 92. num. ult.* & Herman. Vult. *lib. 1. de feud. cap. 7. nu. 56. pag. 213.*



SVMMARIA
ARGUMENTI ET PARTITIONIS HUIUS TRACTATUS.

1. Vtilis & necessaria est iuris portio. de rerum & personarum qualitate & differentia, ad perfectam Iuris nostri cognitionem.
2. Idem obtinet in Iure feudorum.
3. Feudorum qualitas & differentia quæ sit, ostenditur.
4. Differentia feudorũ ipsamet feudorum diversitas est.
5. Modus cognoscendi feudorum qualitatem & differentiam quinam sit.
6. Definitio feudi, qua ab alio simili Jure differt, primo omnium traditur.

Argumentum & partitio tractatus huius.

1 IN jure nostro communi adprimè vtilem & maximè necessariam ad commodiorem juris explicationem & faciliorẽplenioremque ejusdem cognitionem hanc esse disciplinæ legitimæ portionem, quæ est de rerum atque etiam personarum qualitate & differentia, monemur in primis argumento *Tit. ff. de divisione rerum & qualitate*: tum etiam titulo *Instit. de heredum qualitate & differentia.*

Simi-

Similiter in feudorum jure non esse omittendum argumentum idem de feudorum qualitate, & differentia, vel ex eo apparet; quod non omnis feudi eadem est ratio, sive ejus successionem spectemus, sive servitia, quæ ex feudo præstantur, sive etiam amissionem illius consideremus. 2

Videamus ergo quæ sit feudorum qualitas, & differentia. Qualitas feudorum est conditio feudorum, qua hoc vel illo modo feuda se habent, ac censeri debent. Quod enim feudi servientis qualitas ejusmodi est *in l. Traditio 20. §. 1. ibi, quale fuit, ff. de adquir. rer. dom. l. Quid aliud 86. ibi, quam prædia qualiter se habentia, ff. de verb. sig. & in l. Qui fundum 12. ibi, fundus qualiter se habens, ff. Quemadmodum servit. amittuntur*, id conditio ejusmodi feudi est; *in l. via constitui 23. §. Si fundus, ibi, Cum sua conditione quisque fundum ff. de servit. præd. rusticor.* 3

Differentia autem feudorum est ipsa feudorum diversitas, quà feudum unum ab alio discernitur; *arg. dict. Tit. institut de hered. qualit. & differ.* Quemadmodum verò qualitas ex differentia cognoscitur; sic differentia deprehenditur ex divisionibus, *Cujac. in paratit. ff. de divis. rer. & qualitat.* 4

Quocirca ut quæ feudi differentia, quæ item qualitas sit cognoscamus, despiciendũ nobis quot, & quibus modis feudum distribuatur. 5

Primò omnium autem, ut constet etiam quid feudum ab alio simili jure differat, definiemus, quid feudum sit: tum ordine feudorum divisiones proponemus, quarum prima erit ex causis, altera ex effectis, tertia à subjectis, quarta ab adjunctis feudorum.

SUMMARIA CAP. I.

1. Feudi, quod variè definitur, definitionem perfectam tradit Author hujus tractatus.
2. Res illa, in qua feudum consistit, sive mobilis sive immobilis sit, nihil refert.
3. Forma sive specifica feudi differentia quæ sit.
4. Plerique feudistæ definitionis improprium genus constituunt.
5. Vitiosa oberti definitio explicatur.
6. Vitiosa item est definitio feudi à Bartolo tradita.
7. Definitio quoq; feudi à Gofredo tradita & ab Alvaroto approbata genere & formâ laborat vitiosa
8. Definitio feudi à VVesenbeccio extructa declaratur & rejicitur.
9. Feudum constituitur non solum investiturâ, sed etiam præscriptione.
10. Vasallo quandoque plenum quoque dominium in re feudali tribuitur.
11. Non omne feudum ad hæredes Vasalli transitoriũ est.
12. Feudi definitio ab Anton. Contio tradita, tanquam inepta rejicienda est
13. Herm. Vulteij. definitio à Niellio quoque affectatà, qualis sit, declaratur.
14. Definitiò Dn Obrechti commodior est reliquorum Interpp. definitionibus.
15. Similia jura quomodo differant à feudo.
16. Emphyteuseos & feudi discrimen patet ex definitione Emphyteuseos, quam ut perfectam Author hic tradit.
17. Feudum non esse contractum, dictum est suprà, licet alii aliter sentiant.
18. Nomine Emphyteuseos, nullum specialem contractum significari, evidenter docet Author.

19. An-

19. Anceps excutitur hic quæstio illa, an scriptura de substantia sive essentiali forma contractus Emphyteutici sit.
20. Affirmativam sententiam ut veriorem amplectitur Author.
21. Casus ablatiuus licet præteritum aliquando factum denotet, tamen quoad Emphyteusin, secus sese res habet.
22. Casus ablativi ab Imp. Zenone absolutè positi, quomodo accipiendi sint, traditur.
23. Casibus illis ablativis non conditionem, sed nudum aliquando factum denotari, & quomodo, explicat Author.
24. Erronea Interpp. quorundam opini de Emphyteutici contractus substantia hic ventilatur & refutatur.
25. Franc Hotomanni, ejusque Asseclarum errorem hac in re enodat Author.
26. Negativæ opinionis argumenta adducta hic discutiuntur.
27. Contractus Emphyteuticus non Iurisgentium, sed Iuris est Civilis.
28. An bonæ fidei, vel stricti iuris sit contractus Emphyteuticus, controversum est.
29. Argumenta illorum Interpp. qui contractum hunc bonæ fidei esse autumant, examinat & rejicit Author.
30. Quibus conjecturis in dubio iudicari debeat Emphyteusis vel locationis ius, Quæstio est non omittenda.
31. Censuale jus simile quoque est feudo, & quid sit, definitur.
32. Census duobus modis constituitur, & quales hi sint, ostenditur.
33. Quomodo jus censuale differat à feudo, item ab Emphyteusi, ex definitione tradita, manifestum est.
34. Plures aliæ quoque Emphyteuseos & Iuris censualis differentiæ sunt.
35. An in dubio contractus censeatur Emphyteuticus, vel censualis constitutus, controversum est.
36. Simile quoque Feudo esse jus libellarium, definitio ejus hic tradita ostendit
37. Feudo item similem esse precariam, definitio hujus quoque arguit.
38. Vsusfructus denique feudo similis est.

CAP. I.

Quid feudum, quidque differat illud ab alio simili jure.

1. Feudum à variis variè definitur. Ego definiendum illud reor in hæc verba: Feudum est jus in re quadam, mutuæ inter Dominum & Vasallum præstandæ fidei causa constitutum. Genus feudi est jus in re. Nam in *Tit. 23. §. ult. ibi, ususfructus verò, lib. 2. feud.* feudum dicitur ususfructus, qui jus in re est, *l. 2. ff. de usufruct. & § 1. Instit. d. t.* Et sicuti ususfructus jus est in re aliena, *l. 1. ff. eod. tit.* & emphyteusis jus in prædio emphyteutico, *l. 3. §. Si jus, ff. de reb. eor. qui sub. tutel. vel cura sunt, l. Si domus 71. §. pen. & ult. ff. de legat. 1.* Sic & feudum dicitur esse in rebus soli, aut solo cohærentibus, aut in iis rebus, quæ inter immobilia connumerantur, *Tit. 1. §. Sciendum libr. 2. feudor.* Est igitur feudum nihil aliud, quam jus in re quadam, quod genus feudum habet commune cum usufructu, & emphyteusi &c.

2 Nihil autem refert, res illa, in qua feudum consistit, mobilis sit, vel immobilis, ut exposui in Tractatu de substantia, natura, & accidente feudi, *cap. 1.* ut nec illud, an cor-

an corporalis, vel incorporalis sit, *dict. Tit. 1. §. Sciendum, lib. 2. feud.*

Forma sive specifica differentia feudi, quæ & substantia feudi dicitur, continetur mutua fide, sive fidelitate, ad quam præstandam Dominus & Vasallus invicem obligati sunt, *Tit. 3. in fin. & Tit. 5. 6. & 7. libr. 2. feud.* & pluribus ostendi in dict. Tractatu de substantia, natura, & accidente feudi, *cap. 1.* 3

4 Plerique alii in definitione feudi non modò improprium adponunt genus, sed commulant etiam ea, quæ sunt de natura feudi propria; Verum quia feudum est, licet ei non cohæreant omnia feudi naturalia propria, ut evincitur ex *Tit. 48. lib. 2. feud. & Tit. 2. lib. 1. feud.* certè qui naturalia feudi propria in definitione feudi congerit, non perfectè feudum definit, sed ejusmodi conficit definitionem, quæ definito suo angustior est.

5 Est ergo vitiosa Oberti definitio feudi, proposita *in dict. Tit. 23. §. ult. lib. 2 feudor.* Vero enim genere caret, caret item forma. Beneficium genus feudi non est, sed est duntaxat feudi aliquod adjunctum, ut arguit etiam text. *in l. 3. in fin. ff. de obsequiis parentib. & patronis præstand.* Ubi beneficiũ cohærere dicitur etiam illi rei, quę precio cõparata est.

Cætera quoque, ex quibus quid feudum sit, obertus explicat, sunt partim naturalia feudi partim accidentalia, non substantialia feudi.

Proindeque isthæc Oberti definitio, non est propria feudi definitio, sed descriptio tantum ex varia feudi natura propria, atque etiam accidente, ut post Bald. etiam Curt. jun. sentit *in tractat feudor. part. 1. capit. 7. num. 30. & 31.*

6 Æquè vitiosa est definitio feudi tradita à Bart. *ad l. Iurisgentium, 7. §. Quinimò, num. 19. ff. de pact.* Jason. *in prælud. feudor. nu. 34.* Molin. *in consuetud. Paris. Tit. 1. §. 1. gl. 9. num. 4.* Zas. *in epit. famil. partic. 1.* & Schrader. *Tractat. feudal. part. 2. cap. 2. nu. 1.* qui omnes feudum definiunt contractum, cum tamen contractus & feudum differant ut causa & effectum. Contractus est plerunque causa feudi, & hoc effectum est contractus. Quinetiam non omne feudum contractu constituitur, sed quoddam etiam legitima pollicitatione, *arg. l. 1. § 1. §. Item sive, & §§. seqq. l. 4. l. 6. §. 1. §. 2. l. 7. 9. 10. 11. & pen. ff. de pollicitat.* Quoddam item testamento per legatum constituitur: cum ususfructus, cui simile est feudum, *d. Tit. 23. §. ult. lib. 2. feud.* testamento constitui possit, *§. ususfructus Instit. de usufruct. & l. ususfructu legato 7. in prin. ff. d. t.* Quoddam etiam constituitur præscriptione, *per text. in Tit. 26. §. Si quis per triginta, lib. 2. feud.*

Cum ergo feudum non sit contractus, certè ineptum est, quod prædicti, aliique

Inter-

Interpretes feudum appellant contractum nominatum, cum non entium nullæ ſint qualitates.

Nonminus ratione etiam generis vitio laborat feudi definitio tradita à Gofredo, & approbata ab Alvaroto *ad Tit.23. ibi, quibus cauſis feud. amittatur, in verb. ſalutem, num. 9. lib. 2. feud.* Jacob. de Belviſ. *in procœmio feudor.* & Weſenbeck. *tractat. de feud. cap. 1. num. 11.* qui omnes feudum definiunt conceſſionem rei: ſed perperam; quippe cum conceſſio rei & feudum ipſum ſeſe arguant, ut cauſa & effectum. Conceſſio rei in feudum eſt ipſa actio, quâ feudum alicui tribuitur. At feudum eſt jus in re, atque ita rei qualitas; & ſicuti aliud eſt donatio, aliud item res donata, ſic aliud feudum, aliud item ipſa conceſſio rei in feudum datæ. 7

Cæterum ut feudi genus illud ineptum eſt, ſic & forma generi addita non omni convenit feudo.

Integra Weſenbecii definitio hæc eſt: Feudum eſt perpetua rei immobilis, vel æquipollentis per inveſtituram conceſſio, qua utile dominium in Vaſallum, ejuſque heredes mares transfertur, & Vaſallus contra Domino fidelitatem & ſervitia cum ſacramento promittit, & re ipſa eadem interpellatus præſtare cogitur. Non omne feudum eſt perpetuum, ſed quoddam etiam temporale, 8

Tit. 2. in prin. Tit. 11. lib. 1. feud. Neque omne feudum est in re immobili, aut æquipollente, sed interdum etiam consistit in re mobili, puta pecunia numerata, *Tit. 8. in prin. vers. Ignorans. Vbi* Hotoman. & *Tit. 25. ibi vel nummos in feudum dandos*, & *ibidem* Hotoman. *lib. 2. feud.* Iacob de Ardiz. *in epit. juris feudor. cap. 27.* Ubi primum in aliis, ait, rebus mobilibus feudum dari non potest, nisi feudi evicti detur pecunia, quo casu pecuniam in locum feudi retinebit Vasallus: & postea addit; vel dicas, quod in omni re mobili potest consistere feudum, licet non propriè, vel manente proprietate salva, sed remedio satisdationis.

Et licet Ardizon affirmet, impropriū hoc esse feudum, agnoscit tamen feudum esse, & feudum etiam improprium feudi jure censetur, *Tit. 48. vers. Sed qualitercunq; lib. 2. feud.*

9 Adhæc feudum constituitur, non solum investitura, sed & præscriptione *Tit. 26. §. Si quis per triginta, lib. 2. feudor.*

10 Quandoque etiam Vasallo non utile duntaxat dominiū in re feudali tribuitur, sed etiam plenum dominiū, proprietas scilicet, & usufructus: quippe cum Vasallus feudum suum alii concedere in feudum possit, *Tit. 3. §. Sed etiam, Tit. 9 in prin. Tit. 55. §. ult. vers. Illud quoq; lib. 2. feud.* quo certè casu dici non potest, quod rei feudalis proprietatem sibi reti-

retinuerit hîc Vasallus, si ea apud Dominum priorem remanserit, Bald. quoque *ad l. Si plures 6. nu. 7. ff. de condit. insert. l. un. nu. 67. C. de confessis.* Item Jason. *in prælud. feud nu. 14.* disertè docent ex pacto investituræ dominium quoq; rei feudalis directum transire ad Vasallum posse, ac nihilominus verum esse feudum. Idem apertis sentit verbis Molin. *in consuetud. Paris. Tit. 1. in prin. nu. 52. & seq.* Ubi Imò, ait, feudum potest subsistere sine retentione dominii directi, sed solius fidelitatis. Nec est de essentia vel substantia feudi, quod proprietas, vel directum dominium retineatur, sed solum de natura. Unde si in feudatione res sit concessa in feudum cum omni dominio directo & utili, sola fidelitate retenta, erit verum feudum, quamvis improprium. Feudi enim substantia in sola fidelitate, quæ est ejus forma essentialis, consistit. Hæc Molin.

Consonat Zas. *in epit. jur. feudor. partic. 12. circa finem, vers. Undecima conclusio,* his verbis: Si feudum cum omni directo & utili dominio Vasallo concedatur, non tamen feudum esse cessat. Eandem amplectitur sententiam Schrader. *tractat. feudal. part. 2. cap. 2. nu. 29. & seq.*

Præterea non omne feudum ad heredes Vasalli transitorium est, *dict. 2. in prin. & dict. Tit. 11. libr. 1. feudor.* Quæ- 11

dam

dam etiam feuda jure successionis non ad masculos tantùm, sed etiam ad fœminas pertinent, *Tit 8 § filia eod. feud. Tit. 23. in fin. Tit. 30. & Tit. 50. in prin. libr. 2. feudor.* Est etiam feudum sæpenumero, cujus nomine Vasallus Domino suo fidelitatem cum juramento non promisit, *Tit. 3. in fin. & Tit. 24. §. Est & alia, lib. 2. feudor.* Denique feudum esse potest, ex quo Vasallus Domino nulla præstat servitia. *Tit. 104. in fin. prin. in extraord. capit.* Et certè Wesenbecii illa definitio, si penitius introspiciatur, specifica differentia prorsus caret: quæ est mutua inter Dominum & Vasallum fidelitas.

12 Non est accuratior definitio feudi ab Ant. Contio tradita *in commentar. in consuetud. feudor. cap. 2.* quæ hæc est: Feudum est res immobilis, ita data alicui, ut ejus proprietas penes dantem maneat, ususfructus verò ad accipientem, heredesque ejus masculos vel fœminas, si ita dictum sit, in perpetuum transeat, dummodo accipiens, ejusque heredes fideliter Domino serviant. Hujus definitionis genus est, res immobilis: Ejusmodi quoque feudo in definitione tribuit Duaren. *in commentariis in consuetud. feud. cap. 2. nu. 1.* Sed ineptissimum illud feudi genus est, cum feudum sit jus aliquod; res verò immobilis sit Corpus, non jus. Et differunt etiam feudum, & res immobilis, cui inhæret feu-

dum,

dum, differunt, inquam, ut adiuncta qualitas, & subjecta materia, in qua feudum consistit. Destituitur item hæc Contii definitio forma feudi, quæ est, ut dixi, mutua inter Dominum & Vasallum fidelitas.

13 Herman. Vult. *lib. 1. de feud. cap. 1. num. 9.* feudum ingeniosè in hæc definit verba: Feudum est usufructus quidam rei immobilis sub conditione fidei. Hujus definitionis genus, quod est, usufructus quidam, affectat etiam Niellius *disputat. 1. de feud. thesi 6.* Ubi feudum definiens, generis loco ait, jus quoddam utendi fruendi, Schoner. *item lib. 1. disputat. feudal. disputat. 1. thes. 1.* feudum inquit, est jus ususfructus &c.

Verum feudi universum genus haud rectè in usufructu poni potest; quippe cum feuda nonnulla sint, quarum ususfructus nullus est: quale etiam feudum est, quod in jure creandi tabelliones, item in jure legitimandi spurios consistit: quæ jura non fructuaria, sed honoraria sive dignitatis sunt. Et quia interdum non ususfructus tantum, sed & rei feudalis proprietas ad Vasallum transfertur, certè & hanc ob causam feudum ususfructus definiri nequit. Præterea non omne feudum est rei immobilis, sed quoddam etiam, ut suprà ostendi, rei mobilis.

14 Postremò Dominus Obrechtus *disput. de feudis prima, thesi 107.* feudum his definit verbis:

verbis: Feudum est jus sub mutuæ fidei conditione à domino & Vasallo, in rebus immobilibus certo modo utendis fruendis, constitutum. Hæc definitio eadem ferè est cum Vultej definitione. Quod enim domino Vultejo est Ususfructus quidam rei immobilis, id Domino Obrechto est jus in rebus immobilibus certo modo utendis fruendis, ut ipsemet explicat in thesi 120. Eodem ergo modulo metimur hanc Domini Obrechti definitionem, quo Domini Vultej.

Eo tamen commodior est Obrechti definitio, quod non modò exponit, cui jus illud competat, sed & declarat, quod fides illa, sub qua feudum datur, inter Dominum & Vasallum, mutua est; quorum neutrum definitio Domini Vultej habet, ut proinde obscura cuique videri posset, cum tamen definitionis proprium sit, ut clarè & integrè explicet quid res sit.

15 Exposito hactenus, quid feudum sit, videamus nunc, quid à feudo similia jura differant. Emphyteusis adeo similis est feudo, ut argumentum à feudo ad emphyteusin, & contra ab emphyteusi ad feudum probabile, frequentissimum & multum utile dicatur. Nicol. Everhardus *in Topicis legalibus, in loco à feudo ad emphyteusin, item in loco ab emphyteusi ad feudum.* Sed ex definitione emphyteuseos discrimen patebit.

Emphy-

Emphyteusis est jus fruendi prædio alieno 16
rustico, pro certa pensione Domino pradii illius annuatim præstanda, constitutum. Ut enim feudum, sic & emphyteusis jus est, *l. 3. §. Si jus ff. de reb. eor. l. 3. ibi, jus emphyteuticum, item ibi, Si jus emphyteuticum, C. de jure emphyteut. & l. Si domus 71. §. pen. & ult. ff. de legat. 1.*

At feudum est jus in quavis re alienabili, *Tit. 3. §. Sed etiam res, lib. 2. feud.* non solum corporoli, sed & incorporali, *Tit. 1. §. ult lib. eod feud.* non solum immobili, sed & mobili re, ut supra ostendi.

Emphyteusis verò est jus saltem in prædio rustico, puta agro aliove quodam solo, non etiam ædificio *l. 1. ff. Si ager vectigal. l. Lex vectigali fundo, 31. ff. de servit. d. l. Si domus 71. §. pen. & ult. ff. de legat. 1.*

Atque hinc emphyteuticarium prædium opponitur prædio superficiario, id est, ædificio *in l. Tutor. 16. §. ult. ff. de pignoratit. act.*

Adhæc feudum datur causâ mutuæ fidei inter Dominum dantem & Vasallum accipientem prę̨standæ: quæ substantia sive essentialis forma feudi est, ut supra exposui. At emphyteuseos forma sive substantia est, quod emphyteusis datur pro certa annua pēsione, *§. Adeo autem, ibi, quandiu pensio, sive reditus pro his domino præstetur, Instit. de locat. & conduct. & l. 2. C. de jure emphyteut.* quæ pensio Canon appellatur *in l. 3. C. d. t.* Est

17 Est & illud hic notandum, quod ut feudum contractus non est; ut suprà ostendi; ita nec emphyteusis, licet alii aliter sentiant, inter quos est Dominus collega D. Harpprecht, *in commentario ad Tit. institut. de locatione & conduct. §. Adeò autem, num. 4.* contractus est: sed emphyteuseos nomine jus ipsum per contractum plerunque constitutum denotatur: ut ex eo colligere possumus, quod res dicuntur dari in emphyteusin, *c. 2. Tit. de reb. Eccles. non alienand. in 6. Auth. Si quas ruinas C. de S S. Eccles.* quod quis emphyteusin suscipere dicitur, *in l. 2. in prin. C. de jure emphyteut.* Quod item dicimur accipere emphyteusin; *Novel. 7. in prin. § 1.* tum etiam metiri emphyteusin, & transmittere emphyteusin ad successiones *dict. Novel. 7. cap. 3.* quodque ab emphyteusi cadere emphyteuta dicitur *in dict. Novel. 7. cap. 7.* Si verò. quod denique emphyteusis constituitur non solum contractu, sed & præscriptione, & ultima voluntate.

18 Quod si emphyteuseos nomine specialis contractus significaretur, certè antiquitùs ante Zenonis Imperatoris legem frustrà contractus emphyteuticus pro emptione & venditione à quibus dam, à nonnullis item pro locatione & conductione habitus fuisset; siquidem emphyteuseos nomen jus nostrum agnoverit etiam ante Zenonianam

constitutionem, ut testatur text. *in d. l. 3. §. Si jus, ff. de reb. eor. qui sub. tutel. vel cura sunt. non alien.*

Quapropter cum Zenonis Imp. constitutione contractus emphyteuticus primum distinctus sit ab emptione & venditione, Item locatione & conductione, *§. Adeo autem Instit. de locat. & conduct. & l. 1. C. de jure emphyteut.* putandum non est, verbo emphyteuseos denotari contractum ipsum, specie distinctum ab emptione & conductione.

Non obstat, *l. ult. ibi, Nec emphyteuseos contractum, C. de reb. alien. non alienand. §. Adeo autem, vers. Sed talis contractus, ibi, quia emphyteuseos contractus, Instit. de locat. & conduct.* Hisce enim locis (quod notandum) non eodem casu, & quasi per appositionem, duo illa nomina, (emphyteuseos, & contractus) simul collocantur: sed vox, emphyteuseos, in casu tantum genitivo, proindeque illis locis emphyteuseos nomine significatur subjectum, altero adjunctum, ipse scilicet contractus.

Non incommodè hoc loco & illa excuti potest anceps quęstio, an scriptura sit de substantia sive essentiali forma contractus emphyteutici? Accurs. negat ad *l. 1. in verb. scriptura, C. de jure Emph.* Negat item Molin. *in consuetud. Paris. Tit. de censibus, num. 39.* tum etiam Guido de Suzaria, *in tract. de jure* 19

emphyt. nu. 4. & Donel. lib. 13. comment. cap. 22. pag. 215. negant & plures alii, quos refert & sequitur Dominus collega D. Ioan. Harpprecht, *in dict. comment. ad §. Adeò autem, Instit. de locat. & condoct. nu. 51.*

Sed idem Accurs. affirmat ad *d. l. 1. in verb. alienationis, C. de jure emphyteut. & ad §. Adeo autem, Instit. de locat. & conduct.* Affirmant etiam communiter alii, quos recenset, & sequitur Iul. Clar. *in §. Emphyteusis, quæst. 4. &* Ioann. Borcholt. *in commentar. in consuetud. feudor. cap. 3. nu. 7. & seqq.*

Neganti opinioni fundamenta poni possunt varia. Primum ejusmodi est; Ante constitutionem Zenonis Imp. contractus emphyteuticus à quibusdam censebatur emptio venditio, ab aliquibus verò locatio conductio: Cujusmodi contractus scripturam non desiderant, sed solo consensu constant, per jura notissima. Quo argumento post alios utitur quoque Dominus collega D. Harpprecht, *in dict §. Adeo autem num 56.* Alterum tale est: Feudalis contractus non requirit necessariò scripturam: Ergo nec Emphyteuticus contractus: cum argumentum à feudo ad emphyteusin procedat. Quam rationem adducit quoque Dominus collega Harpprechtus, *dict. in §. Adeo autem num. 54.* subjiciunt & hoc fundamentum: scriptura non

ra non ad ſubſtantiam, ſed probationem rei geſtæ deſideratur, regulariter: Ergo ad emphyteutici contractus ſubſtantiam, & formam non requiritur ſcriptura. Quod fundamentum huic ſententiæ ponit idem Dominus Collega *dicto loco, num 52.*

Præterea arguunt aliqui hoc modo: contractus emphyteuticus juris gentium eſt, non juris civilis, *Corar. ad Rubr. C. de jure emphyteut. numer. 8. & lib. 1. miſcel. capit. 21. & Connan. libr. 7. commentar. capit. 12. num. 1. Cujac. in Paratit. Cod. de jure emphyteut.* quippe cum etiam ante legem Zenonianam, ita ut dixi, in uſu fuerit, ut à quibuſdam locatio, à nonnullis autem venditio habitus fuerit; qui duo contractus juris gentium ſunt, non juris civilis. *l. Iurisgentium 7. in prin. junct. §. 1. ff. de pactis, & §. Ius autem gentium, verſ. Et ex hoc jure, Inſtit. de jure naturali gent. & civil.* contractus autem juriſgentium ſolo conſtant conſenſu, non etiam ſcriptura, *§. 1. Inſtitut. de obligation. ex conſenſu*, niſi nominatim inter contrahentes convenerit, ut in ſcripturam contractus redigatur, *l. contractus 17. Cod. de fide inſtrumentor.*

Adhęc nusquam in jure nostro contractus hic disertè & nominatim scripturam desiderare videtur. Quod enim attinet d. l. 1. C. de jure emphyteut. nominatim,& expresse non videtur in ea requiri ad emphyteutici contractus constitutionem scripturæ adhibitio: quippe cum ibi scripturæ fiat mentio tantum ubi de pactis hujus contractus agitur, Similiter in dict. §. Adeo autem, Iustinianus Imp. summatim refert solum; quæ à Zenone Imp. in d. l. 1. C. de jure emphyt. constituta sunt, nec tamen scripturæ meminit, quasi ea ad hujus contractus formam desideretur. Illud ergo affirmare inconveniens fuerit, *Novel. 18 cap. consideremus autem.*

Denique in contractu emphyteutico, quo Ecclesiastica emphyteusis constituitur; specialiter requiritur scriptura, *Novel. vii. in prin. §. ult. vers. Anastasius,* Unde sequitur in privatæ emphyteuseos contractu non exigi necessariò scripturam: siquidem id alioquin frustrà caveretur specialiter de emphyteusi ecclesiastica, si generaliter in omni contractu emphyteutico scriptura esset necessaria. Et ea solent duntaxat specialiter caveri, ac notari, quę specialem & singularem animaduersionem postulant, *l. Item apud 15. §. Hoc edictum 26. ff. de injur. l. 1. §. Dixerit aliquis 2. ff. de publicanis & vertig. & l. 3. §. 1. vers. Nisi fortè, ff. Nautæ caup. stab.*

Verum

Verum his rationibus nihil motus assen- 20
tior illis, qui contractum emphyteuticum non nisi interveniente scripturâ fieri posse autumant, *per text. in d. l. 1. ibi, scriptura interveniente, C. de jure emph.* quo loco Zeno Imp. constituit, ut & ipsemet contractus emphyteuticus, & pactiones ei adjectæ scripturâ interveniente fiant. Et notandum, quod duobus illis ablativis absolutè positis Zeno Imp. utitur: Siquidem eorum hæc sit natura, ut conditionem ac formam inducant. *l. Evictis 18. ff. de usur. l. Evicta, 16. in prin. & l. Evictare 70. ff. de Evictionib. l. A testatore 108 ff. de condit. & demonstrat.* & conditio ac forma exactè impleri debeat, *l. Cum hi 8. § Si prætor. 17 ff. de transact. l. constitutionibus 24. ff. ad municipalem, & l. Certa forma 4. C. de jure fisci, lib. 10.*

Et licet quandoque præteritum aliquod 21
factum denotet non conditionem, *ut in l. 2. §. 16. Exactis deinde regib. ff. de Orig. jur.* id tamen fieri non potest, cum participii ablatiuus est temporis præsentis, ut hoc casu.

Accedit deinde huc, quod emphyteuticorum instrumentorum meminit Iustinian. Imp. *in l. 2. l. 3. C. de jur. emph.*

Quod verò quidam scribunt, *in d. l. 1.* 22
duos illos ablativos, SCRIPTURA INTERVENIENTE, non ad hujus contractus substantiam, sed ad pacta ei adjecta referri, admittendum

dum non eſt: Quippe cum veriſimile non ſit, legislatorem ipſi tantum accidenti, non etiam multò magis ſubſtantiæ contractus ſcripturam proponere voluiſſe.

Similiter ferendum non eſt, quod aliqui exiſtimant, neque ipſas pactiones hujus contractus exigere ſcripturam: verba enim, quæ urgent, hæc: *Ita ut ſi interdum ea quæ fortuitis caſibus eveniunt, pactorum non fuerint conventione concepta &c.* non illud volunt, quod pactiones illæ, quando adjiciuntur abſque ſcriptura fieri poſſint, ſed quod hic contractus abſque illis pactionibus poſſit conſtitui.

Præterea Zeno Imp. contractum emphyteuticum ſingulari ſpecie, atque ita forma ſubſtantiali diſtinctum voluit ab emptione venditione, & locatione conductione, *d. l. 1. in prin. C. d. t*: ea autem ſpecies ac forma eſſentialis nulla alia in re, quàm ſcripturâ conſiſtere poteſt, cum eadem lex nominatim per duos ablativos abſolutos ſcripturæ ibidem meminerit, nec quicquam aliud expreſſerit, in quo conſiſtat ea ſcriptura.

Nec verum eſſe poteſt, quòd quidam ajunt; Emphyteuticum contractum etiam ante Zenonianam legem ſuâ conſtitiſſe formâ, quâ ab emptione venditione, itemque locatione conductione diſtinctus fuerit: Tum

Tum quia Zeno Imp. ſcribit, ſe conſtituere ſua illa lege, ut hic contractus propriam habeat & conceptionem, & definitionem: Tum etiam quia veriſimile non eſt, & Impp. & juriſconſultos veteres ante Zenonis tempora adeo mentis fuiſſe inopes, ut formam illam hujus contractus ſpecialem, ſi quæ fuerit, ſuo ſenſu aſſequi non potuerint.

Poſtremò contractus emphyteuticus ipſa conventionis conceptione & propria definitione per Zenonianam illam legem à prædictis illis duobus contractibus ſeparatus eſt, *dict. l. 1. Cod. eod. tit.*

Ineptum ſanè videtur, quod quidam tradunt, verbis illis Zenonianæ legis; *conceptionem definitionemque habere propriam &c.* ſignificari, Imp. Zenonem contractui huic certum indidiſſe nomen, & nominatum effeciſſe contractum: Nomen enim illud EMPHYTEUSIS longè ante Zenonis legem in uſu fuit, & proprium hujus emphyteutici juris: uti arguit text. *in l. 3. §. Si jus ff. de reb. eorum, quæ ſub. tutel. vel cur.*

Quod ſi Imp. Zeno duntaxat proprio hunc contractum nomine donare voluiſſet, id etiam procul dubio ipſe ſignificaſſet, in d. l. 1. C. de jure emph. aut Iuſtinianus ſacratiſs. Princeps in d. §. Adeo

autem, expressisset. Et verisimile nō est, quod Zeno Imp. solo nomine hunc contractū distinguere voluerit à duobus aliis cōtractibus, emptione, & locatione. Nomine quæ differunt, re ipsa & specie quoq; differūt, *l. Si idem codicilli 7. C. de codicill.* At primùm Zeno Imp. sua lege effecit, ut specie distingueretur emphyteuticus contractus à dictis duobus contractibus. Ante Zenonis constitutionem non fuit quædam distincta species, sed à quibusdam emptio, ab aliquibus locatio habebatur. Dubium ergo nullum est, quin à Zenonis lege contractus hic certam acceperit formam, quâ separari debuerit à duobus illis contractibus aliis; quæ forma nulla alia in re consistere reperitur, quàm in scriptura. Neque obstat, quod aiunt, *conceptionem contractus hujus, & scripturam* ceu diversa, & separata distingui in d. l. 1. C. de jur. emphyteut. Id enim perperam dici arguunt legis illius verba hæc: *In quo* (scilicet contractu, propriam conceptionem & definitionem habente) *cuncta quæ inter utrasque contrahentium partes super omnibus vel etiam fortuitis casibus pactionibus scriptura interveniente habitis* (quod participium *habitis* non modo ad dictionem *pactionibus*, sed & præcedentem vocem *super omnibus*, referendum) *placuerint &c. debeant custodiri.* Quibus ex verbis cognoscimus, quòd non modò

pactiones adjectæ, sed & ipsemet contractus autoritate illius legis scripturam requirit.

Necessum ergo est, ut ex Zenoniana lege in ipsomet contractu aliquid necessariò interveniat, quo hic contractus specie à cæteris illis duobus contractibus sejungatur. Illud autem scripturam esse, eadem illa lex duobus illis ablativis absolutis abundè testatur.

Non quidem ignoro, quod per hosce ablativos quandoq; nudum aliquod factum non conditio significetur, *ut in l. 2. §. Exactis deinde regib. 6. ff. de Orig. jur.* Verùm id procedit, cum certò constat ex ipsa dispositione, quòd per ablativos illos non denotatur ulla conditio: alias enim regulariter conditionem important ejusmodi ablativi, Bart. *ad l. Cum stipulatus 113. in prin ff. de verb. oblig.* Bald. *in repetit. l. 1. vers. Undecimò opponitur, ff. de legat. 2.* aut, ait, ablativus cadit super certo, & est sua natura juris intellectu certum, & non facit conditionem; aut super incerto, & facit conditionem; Bart. & Bald. sequitur etiam Roland. à Valle *consil. 82. num. 16. vol. 1.* Et nisi in d. l. 1. C. de jur. emphyteut. per duos illos ablativos conditio, atque ita forma quædam definiretur, certè contractus emphyteuticus per illam Zenonianam constitutionem non esset re 23

 ipsa

ipsa, & specie distinctus à venditione, & locatione: quippe cum præter scripturam nihil proponatur in ea lege, in qua formam hujus contractus ponere possimus.

24 Non est probandum, quod quidam sentiunt emphyteutici contractus substantiam consistere in hisce tribus, CONSENSU, RE IMMOBILI, ET ANNUA PENSIONE DOMINO PRÆSTANDA; Hæc tria enim non distinguunt hunc contractum ab emptione venditione, locatione conductione, quippe cum & hi contractus omnes consensum desiderent, & de re immobili fieri possint, annua itē pensio ex locatione & conductione præstetur, cum tamen Zeno Imp. ab his contractibus specie separatum & distinctum jusserit esse emphyteuticum contractum.

25 Arbitrantur quidam contrariæ opinionis patroni, inter quos etiam est Francisc. Hotoman. *ad §. Ius autem gentium in fin. Instit. de jure naturali & civili*, substantiam contractus emphyteutici sive formam ejus essentialem, non scripturâ, sed eo ipso contineri, quod particularis interitus prædii emphyteutici, aliudve damnum leve ad emphyteutam pertinet, totalis verò interitus ad ipsum Dominum *per text. in d. l. 1. C de jure emphyteut.* Atqui hoc ipsum non de substantia, sed natura hujus contractus est, similiter lege

Zeno-

Zenonis Imp. definita, ut disertè arguit textus *in dict. §. Adeo autem vers. Sed talis contractus Instit. de locat. & conduct.* Aliud autem substantiam, aliud item naturam contractus esse, alibi exposui.

Quod si isthæc contractus emphyteutici conditio de substantia illius esset, certè pacto mutari non posset, salvo ipso contractu, cum mutata rei forma, res ipsa quoque pereat, *l. Iulianus 9. §. 3. in fin. ff. ad exhib.* Sed ea contractus hujus conditio pacto mutari potest, *d. l. 1. ibi, ut si interdum ea, quæ fortuitis casibus eveniunt, pactorum non fuerint conventione concepta, C. de jure emphyteut. & d. §. Adeo autem, vers. Sin autem nihil de periculo fuerit pactum, Instit. de locat. & conduct.* Non est ergò de substantia sive forma hujus contractus.

Nihil obstant ajenti nostræ sententiæ argumenta pro altera opinione prius adducta. 26
Quod enim primum attinet fundamentum, ex eo robur ideo capit nullum contraria opinio, quod contractus hic olim quidem veteribus vel locatio vel venditio fuit, verũ Zeno Imp. specialem inde effecit contractum formâ ab vtroq; illo contractu distinctum, quæ forma, ut ostendi, scriptura continetur.

Alterum contrariæ opinionis argumentum à simili petitum est, proindeque leve, & minimè concludens, maximè

cum

cum Zenoniana lex haud obſcurè oſtendit, ſcripturam hunc ad contractum deſiderari.

Tertium fundamentum ex eo ruinoſum intelligitur, quod quidem regulariter ſcriptura non ad ſubſtantiam, ſed probationem contractus requiritur, verum regularis hæc definitio officium ſuum perdit in contractibus, qui nominatim ſcripturam juris authoritate deſiderant, ut eſt contractus, ex quo literarum naſcitur obligatio: Item contractus libellarius, & hic noſter emphyteuticarius contractus.

Quod attinet argumentum quartum, non quidem diffiteor, quod contractus ille, quo antiquitùs contrahentium alter alteri prædium pro certa annua penſione fruendum concedebat, juris gentium fuerit contractus, cum quibuſdā juris autoribus emptio venditio, quibuſdam verò locatio conductio fuerit, ut & antea dictum: at quia pòſt acceperit formam à jure civili, lege ſcilicet Zenoniana, ſpecialem, & una quæque res à ſua forma ſit æſtimanda. *l. Adeo 7. §. Cum quis 7. ff. de adquir. rer. dom.* cum forma det eſſe rei, *l. Iulianus 9. §. Sed ſi quis 3. in fin. ff. ad exhib.* certè contractus hic non amplius juris gentium, ſed hodie juris civilis eſt contractus. Id quod contra alios ſentit etiam Accurſ. Faber, & alii *ad §. Ius autem gentium, Inſtit. de*

jure

jure naturali gent. & civil. Accurſ. & Bart. *ad l. 5.* & Zaſ. *ad l 3. in fin. ff. de juſtit. & jur.* Ferd. Vaſq. *Tractat. de ſucceſſ. progreſſu in præfat. num. 136.* Guido de Suzaria *in tractat. de jure emphyt. nu 1.* Weſenbec *ad §. Adeo, num. 8. Inſtit. de locat. & conduct.*

Quintum contrariæ ſententiæ argumentum, enervatur ſufficienter Zenoniana lege, quâ emphyteutico contractui hanc inſcriptam eſſe formam conſtat, ut ſcriptura interveniente conficiatur. Non ergo ſine legis diſpoſitione loquimur.

Vltimum argumentum primo quidem aſpectu ponderoſum ſatis cenſetur, verùm penitius cum inſpicimus illud, nihil planè concluſionem noſtram imminuit. Eſt enim Novel. *VII. in prin. §. ult. verſ. Anaſtaſius.* de monumentorum geſtis, id eſt de ſcriptura publica. Civilis ſive ſecularis emphyteuſis privatam ſolùm deſiderat ſcripturam: at Eccleſiaſtica emphyteuſis exigit monumentorum geſta, id eſt, ſcripturam publicam. Monumentorum quippe geſta, *in dict. Novel. VII. in prin.* §. *ult. verſ. Anaſtaſius*, nihil aliud ſunt, quam acta publica, ut quæ apud magiſtratum, interveniente ſcriptura, ſunt confecta, *ut arguit text in l. Privilegia 17. §. Id verò quod geſtum erit, C. de SS. Eccleſ. & l. ult. C. de donat. cauſa mortis & Novel. 119. in prin.*

27 Ex prædictis & illud patet, quod emphyteuticus contractus non juris gentium, sed juris civilis sit contractus. Cum enim Zenoniana lege, atq; ita jure civili inscripta sit huic contractui specialis forma quę scripturâ cõtinetur, consequitur inde, civilem hunc esse contractum *l. Ius civile 6 ff. de Instit. & jur.* Ubi dicitur, quod quoties jure gentium, vel naturali quid additur, vel detrahitur, jus ciuile efficiatur.

Ipsa quidem conventio de prędio pro certa annua pensione fruendo ante Zenonem Imp. vbique juris gentium erat contractus; quippe cum aliis emptio, aliis locatio erat. At quia populus Romanus hunc contractũ certa quadam forma ex Zenoniana lege profecta, conficere cœpit, propter eam formam desiit esse juris gentium contractus, quamvis ipsa conventio absq; isthac forma apud alias gentes in usu manserit & vel emptio venditio, vel locatio condictio sit. Sic donatio simplex, sola conventione absq; rei traditione facta, ex Iustiniani constitutione juris est civilis apud populum Romanum. At extra orbem Romanum aliis gentibus adhuc jurisgentium conventio est.

28 Est & illud controversum, sitnè bonæ fidei; an stricti juris contractus emphyteuticus? Præter alios Conanus quoque *lib. 7.*

commentar. cap. 12. num. 1. & Donel. *ad §. Actionum autem, num. 39. Instit. de actionib.* hunc contractum bonæ fidei contractibus connumerandum censent: quæ sententia eo quoque confirmari videtur, quod olim hic contractus aliis locatio, aliis venditio fuit; qui contractus bonæ fidei sunt, *dict. §. Actionum autem, Instit. d. t.* quodq; pactum huic contractui incontinenti adjectum, in est, *l. 1. C. de jure emphyt.* quod proprium est bonæ fidei contractus, *l. In bonæ fidei, 13. C. de pactis, & l. Iurisgentium, 7. §. Quinimo ff. de pactis* quod item hujus contractus hæc natura est, ut ex æquo & bono præstandum sit aliquid, etsi de eo nominatim non convenerit, ut arguit *d. l. 1. vers. Ita ut si interdum, C. de jure emphyteut.* quod est proprium bonæ fidei contractus, *§. ult. Instit. de oblig. ex consensu l. 2. §. ult. ff. de obligat. & act. juncta l. Mora 32. §. In bona fidei, ff. de usurpat. & l. Tantundem 7. ff. de negoc. gest. & l. Lucius 24. in fin. ff. de posit.* Quod denique Dominus & emphyteuta mutua tenentur actione, dominus scilicet ad præstandum prædium emphyteuticum, Emphyteuta ad solvendum canonem annuum, sed bonæ fidei tantum actiones sunt actiones mutuæ vtrinque competentes *dict. §. ult. Instit. de oblig. ex consensu, & d. l. 2. §. ult. ff. de oblig. & act.*

At

At plerique veteres emphyteuticum contractum stricti juris contractibus connumerandum putârunt, Bald. *ad d. l. 1. num 8. C de jure emphyteut. & in repetitione ejusdem legis, num. 17. Ibidem etiam Iaſ nu. 76.* & Sichard. *num. 6.* Ioan. item Ferrarius Montanus *ad eundem Cod. Tit. de jure emphyteut. cap. de origine rerum emphyteudicarum.* Atque horum sententię meum quoque addere calculum nullus dubito: tum quia hujus contractus actio non adjicitur actionibus bonæ fidei *in d. §. Actionum autem, Inſtit. de actionib.* etiamsi ante Institutionum compilationem contractus emphyteuticus ex Zenoniana scilicet lege specialis fuerit contractus: tum etiam quia bonæ fidei contractus & actio efficitur sola lege, *dict. § Actionum autem, verſ. Quamvis enim & §. ſeq. Inſtit. de actionib. & l. ult. §. fin. C. de petit. heredit.* Sed nulla lege cautum est, ut contractus hic, vel ejus actio bonæ fidei sit contractus vel actio: quocirca bonæ fidei contractibus & actionibus accenseri temerè non debet; tum postremò, quod contractus tantum jurisgentium sunt bonæ fidei contractus, non etiam contractus juris civilis, *dict. §. ult. Inſtit. de obligat. ex conſenſu, & d. l. 2. §. ult. ff. de oblig. & actionib. junct. §. Actionum autem, Inſtit. de actionib.* excepta una stipulatione de dotibus exigendis, *§. Fuerat antea, Inſtit. d. t.*

Non

Non imminuit hanc conclusionem nostram, quod emphyteuticus contractus similis est locationi, & conductioni, & antiquitus 29
pro tali contractu à quibusdam, ab aliquibus verò pro emptione & venditione habebatur. Nam contractus quoque innominatus do ut facias, item facio, ut des, ut & facio, ut facias, similis est vel locationi conductioni, vel mandato, *l. Naturalis 5. §. 2. & §. 4. in fin. ff. de præscript. verb.* non tamen bonæ fidei, sed stricti juris contractus est, *dict. §. Actionum autem. ibi, præscriptis verbis quæ ex permutatione competit, Instit. de actionib.*

Nec refragatur, quod pactum incontinenti adjectum huic contractui, ex juris dispositione ei inesse dicitur. Nam pactum quoque stricti juris contractui incontinenti adjectũ inesse ipsi contractui dicitur, *l. Lecta 40. vers. Dicebam, ibi pacta incontinenti facta stipulationi inesse creduntur, ff. de reb. credit.* Sed alia ratione inest bonæ fidei contractui pactũ illud, alia item ratione contractui stricti juris. Bonæ fidei contractui incontinenti adjectum, actionem producit, *l. Iurisgentium, 7. §. Quinimo 5. ff. de pactis. & l. In bonæ fidei. 13. C. eod. tit.* Sed incontinenti adjectum contractui stricti juris actionem aliâs competentem tollit ipso jure, ita ut nulla opus sit ad eam elidendam exceptione; *d. l. Lecta, 40. vers. Etsi ut ille putabat, ff. de reb. credit.*

H *l. 4.*

l. 4. §. Hujus rei ff. de pactis. Cujac. in commentar. in lib. 3. quæst. Papin. pag. 68. & seq. & libr. 50. observat. capit. 24 Donel. ad d. l. In bonæ fidei 13. numer. 11. & 12. Cod. de pactis. Quod si ergo in ipso contractu emphyteutico pactum interpositum sit, ut si grandine, aut quo alio casu fortuito perjerint fructus prædii emphyteutici, non integrum, sed dimidium duntaxat Canonem solveret emphyteuta, Dominus certè canonis integri nomine actionem habet nullam, quamvis nullo interposito pacto de integro Canone ei actio competeret, *per text. in d. l. 1. in fin. C. de jure emphyteut.*

Ad hæc nihil decerpit nostro pronunciato, quod damnum particulare, ac leve ex natura contractus emphyteutici, ad emphyteutam pertinet, etiamsi hac de re inter ipsum & dominum convenerit nihil, *d. l. 1. in fin C. d. t.* Nam & stricti juris contractibus naturâ ipsorum quædam insunt, licet pacto nominatim eis adposita non fuerint, textus est elegans *in l. 3. ff. de reb. credit. & l. Semper in stipulationibus, 34. ff. de regul. jur.* Unde nimis est angustum, quod dicitur stricti juris contractus esse, quorum actionibus id tantum petitur, de quo expressè & nominatim inter contrahentes convenit.

Postre-

Postremò non obstat, quod mutua nascitur actio inter Dominum & emphyteutam. Nam ex eo bonæ fidei actio minimè æstimari debet, cum & bonæ fidei actio esse possit, licet mutua non sit, ut est actio ex permutatione, §. *actionum, Instit. de actio.* Item actio ex stipulatu de exigenda dote, §. *Fuerat, Instit. d. t.*

Non est hoc loco omittenda quæstio hæc, cum emphyteusis magnam habeat cognationem cum locationis jure, *l. 1. & l. ult. ff. si ager. Vectigal.* quibus conjecturis in dubio debeat judicari emphyteusis, vel locationis jus? Doctores quos refert, & sequitur Menoch. *lib. 3 præsumpt. præsumpt. 106* tres conjecturas adferunt. Prima hæc est, si in perpetuum sit tributum ejusmodi jus. Ex eo enim emphyteusin, non locationis præsumi jus volunt. Verum hæc conjectura nulla est; Nam emphyteusis non modò in perpetuum, sed & ad tempus dari solet, *d. l. 1. in princ. & l. ult. ff. Si ager. Vectigal.* Locatio quoque non tantum temporalis est, sed quandoque etiam perpetua, textus notabilis in *l. Viam veritatis 10. C. de locat. & conduct.* 20

Secunda conjectura est, si modica & tenuis sit pensio, vel ea sit magna, & fructibus quodamodo respondeat. Priori namq; casu emphyteusin præsumi, casu autem posteriori

locationem censeri tradunt. Sed neque hæc admittenda est præsumptio, quippe cum emphyteusis esse possit, etiamsi magna, & quæ fructibus quodammodo respondeat, pensio solvatur, *textus est in Novel. 7. capit. 3. §. 1. vers. Si verò alicujus*, & docet Fachinæ. *lib. 1. controversiarum juris, cap. 89. in fin.* Atque ita censuit etiam Collegium juridicum Mediolanense, in consilio quodam, cujus meminit Iul. Clar. *lib. 4. sentent. § Emphyteusis, quæst. 8. nu. 6. vers. Si verò quæratur.*

Tertia conjectura est, si actum fuerit, ut vendito prædio laudemium Domino prædii directo à novo Emphyteuta præstetur. Tunc enim emphyteusin, non locationis jus censeri rectè putant. Sed quia laudemii præstatio de natura emphyteuseos est, & fieri debeat, licet de ea facta sit nulla mentio in ipso contractu *l. ult. vers. Et nec avaritia, & vers. seq. C. de jure emphyteut.* pacto illo amisso quid præsumendum? Locationis potius jus, non emphyteusin præsumendam reor: siquidem in dubio semper illud sequimur, quod est minimum, *l. Semper in obscuris 9. & l. semper in stipulationibus 34 in fin. ff. de reg. jur.* Minus autem jus est locationis jus, majus verò jus empheteuseos; quippe cum emphyteuta prædium emphyteuticum possideat, *l. Pen. §. 1. vers. Sed & qui vectigalem ff. Qui satisdare cog. l. 1. in fin. ff. Si ager vectigal.*

vectigal. conductor verò non possideat prædium conductum §. *Possidere autem Instit. de interdict. l. Qui bona 19. in prin. l. Si id 25. §. 1. l. Si aliquam 28 l. Qui universas 30 §. ult. & l. seq l. Quamvis 32. §. 1. ff. de adquir. vel amitt. poss.*

Ut emphyteusis, sic & jus censuale feudo simile dicimus. Est autem jus censuale, cum quis ex prędio suo proprio cuidam alii quotannis çensum præstat, *text. & gl. ac Canonistæ in c. constitutus extra de religosis domibus, Iul. Clar. in §. Emphyteusis, quæst. 1. num. 2. Petr. Follerus in aurea praxi censuali, pag. 332. nu. 23. &c. Coras. in enarrat. Tit. Cod. de jurę emphyteut. capit. Quantum distent feudum, census, libellus, superficies & precaria ab emphyteusi, & Everhard. in Topicis legalibus, in loco ab emphyteusi ad censum, numer. 2. & seqq. Menoch. libr. 3. præsumpt. præsumpt. 106. num. 1. 2. & 6. & præsumpt. seq.* 31

Constituitur census sive censuale jus duobus modis; uno, Cum quis tradit prædium suum alicui, ut ęx eo annuatim accipiens censum præstet; altero, cum quis in proprio suo prędio alii certum annuum censum constituit. *Menoch. post. alios dict. lib. 3. præsumpt. præsumpt. 107. nu. 4. & seq.* Priori modo constitutum censum appellat Molinæus fundiarium, & prædialęm censum; posteriori mo- 32

 do çon-

do constitutum vocat censum adventitium, & impositititium, *consil. 9. numer. 21. & s 99.* Ubi, quod notandum, hunc censum redimibilem censet indubio, illum verò non item; eò quod in dubio semper præsumitur, quod minus est.

33 Ex præmissa autem definitione, quid à feudo, quid item ab emphyteusi differat censuale jus, manifestum est. Feudum, ut suprà exposui, conceditur sub conditione mutuæ fidei, sive fidelitatis; At censuale jus tribuitur pro annuo censu. Emphyteusin qui concedit, proprietatem prædii sibi reservat, sed jus tantum utendi fruendi ad emphyteutam transfert; Sed qui jus censuale alicui concedit, is prædium censuale pleno jure censuario tribuit, id est, & jus utendi fruendi, & proprietatem ipsam, ut definitio arguit, Matth. tamen de Afflictis *decis. 129. num. 8.* existimare videtur, jus censuale ita constitui posse, ut directum dominium reservet sibi concedens, & saltem utile dominium ad censuarium transferat.

34 Sunt & aliæ emphyteuseos, & juris censualis differentiæ. Emphyteuta enim cessans per triennium ex civili emphyteusi, per biennium ex exphyteusi ecclesiastica, solvere annuum canonem, cadit ab emphyteusi, *lege 2. Cod. de jure emphyteut. c. Potuit, extra de locat. Novel. 7. capit. 3. §. Scire autem, & No-*

& Novel. 120. capit. 8. Auth. Qui rem Cod. de SS. Eccles. Censuarius vero licet per mille annos censum præstare annuum cessaverit, attamen non cadit jure suo, ut communiter tradunt Doctores, quos refert, & sequitur Menoch. *dict. præsumpt. 106. nu. 1.* Emphyteuta si inconsulto Domino emphyteusin alienet, amittit jus suum, *l. ult. C. de jur. emphyteut.* Censuarius autem non item, *Dec. consil. 164. col. 4. vers. ultimo non obstat, Capic. decis. 103. nummer. 5. & 7.* Utriusque differentiæ ratio esse videtur, tum quod pleno jure censuale prædium ad censuarium pertinet; tum quod nullo jure cautum legimus, ob censum non solutum, vel propter alienationem censualis prædii, aut juris, privari censuarium jure suo.

35 Est autem controversum, an in dubio contractus censeatur emphyteuticus, vel censualis constitutus? Communis autem & recepta opinio est, præsumi potius censualem, quàm emphyteuticum contractum, ut ostendit Menoch. *dict. præsumpt. 106. numer. 3. & seq. Ubi utriusque opinionis autores & rationes memorat.* Ego autem communem procedere autumo opinionem, nisi constet prædiũ censuario esse concessum ab eo, cui præstatur census annuus. Quod si appareat ab hoc datum esse prędium ipsi censu-

ario, existimo contrariam opinionem veriorem esse, & potius contractum emphyteuticum præsumi, quàm censum, eò quod semper in dubio illud præsumatur, quod est minus, *l. Si ita 14 & l. Cum servus 39. §. Scio 6. ubi Bart. & alii ff. de legat. 1 l. Qui concubinam 29. §. Cum ita, 1. & l. Nummis 75. ff. de legat. 3. & l. ult ff. de Prator. stipulat. l. Semper in obscuris 9. ff. de reg. jur. &c. Cum in obscuris, ubi Dynus, eod. Tit. in 6.* Ut proinde in dubio censendum non sit, quod quis cum jure utendi fruendi etiam ipsam prædii proprietatem in accipientem transferre voluerit.

36 Adhæc feudo simile est jus libellarium, ut quod per libellum, sive per libellarium contractum est constitutum. Est autem libellarius contractus conventio, qua interveniente scripturâ res alicui utenda fruenda pro certo precio datur, certa insuper pensione in singulos annos constituta, hac lege, ut stato condictoqúe tempore contractus renovetur, rursus numerato certo, vel arbitrario precio, *per text. in Tit. 9. §. Donare, & Tit. 52. §. Si quis, ibi, libellum vel aliud instrumentum, lib. 2. feudor. Novel. Leonis 13. Cujac. ad Tit. 2 lib. 1. feudor. pag. 80. Hotoman. in libello de verbis feudalib. in verb. Libellarius contractus, & Ioann. Borcholt. de feud. cap. 3. nu. 45.* Atque jus illud hoc modo consti-

constitutum dicitur quoque in jure feudorum libellus, *Tit. 44. in fin. ibi, libellum retinebit, lib. 2. feudor.* quod à feudo longè differt, ut arguit adducta libellarii contractus definitio, collata cum feudi definitione hoc capite proposita.

Præterea feudo similis est precaria. Est autem precaria jus utendi fruendi prædio alieno ad tempus certum, vel dum vixerit accipiens, ea lege, precariò, id est, absque annua pensione concessum, ut certis temporibus, puta de quinquennio in quinquennium renovetur, *per text. in c. 1. & c. ult. extra de precariis, & Can. Precariæ 4. & seq. 10. quæst. 2. junct. l. Iubemus 14. §. Sane ne omnis 5. C. de SS. Eccles.* Alii tamen, ut Cujac. *ad Tit. 5. lib. 1 feud.* Hotoman. *in libello de verbis feuda. in verb. Precaria, &* Borcholt. *de feud. cap. 3. num. ult.* precariam definiunt ipsam concessionem, & contractum ipsum, quo huiusmodi jus alicui tribuitur. Atqui precariæ nomine ipsumquoque jus significari textibus juris Canonici proximè citatis mihi planè videtur. Tradit idem Cujac. *ad dict. Tit. 5. in fin. lib. 1. feud.* & Coras. *ad Rubric. Cod. de jure emphyteut. cap. Quantum distet. feudum &c. ab emphyteusi, nu ult.* annuam esse pensionem in precaria. Et Hottoman. *lib. de verb. feudalib. in verb.* Precaria scribit, quod 37

precaria plerunque mercedem recipiat. Verùm ſine penſione annua precariam conſtitui reor; tum quia precarium, unde natam eſſe precariam puto, gratis conceditur, *l. 1. §. 1. l. 2. §. 2. ff. de precario*: tum etiam quia regulariter precaria in prædiis eccleſiaſticis conſtitui non poteſt, *c. 2. & c. ult. verſ. ult. ibi, quandoque, extra de precariis d. l. Iubemus 14. §. Sanè in omnibus, C. de SS. Eccleſ.* Cum tamen emphyteuſis temporalis, ex qua penſio annua debetur, in prædiis eccleſiaſticis, ſervata juris forma, rectè conſtituatur, *Novel. 7. & Novel. 120. cap. 5. & 6. c. 1. & c. 2. Tit. de reb. eccleſ. non alien. in 6.* Coras. quoque ſupra dicto loco affirmat, quòd nulla alia re ab emphyteuſi differat precaria, quàm quod in precaria ſit pactum de renovanda precaria ex tempore in tempus.

38 Poſtremò ſimilis feudo eſt uſusfructus, *per text. in Tit. 23. §. ult. ibi uſusfructus verò, lib. 2 feudor.* At feudo additur lex mutuæ fidei, & plerunque etiam ſervitii: uſusfructus verò hanc legem non agnoſcit.

SUMMA-

SUMMARIA CAP. II.

De feudi distributione ex causis.

1. Prima distributio feudorum sumitur ex causis.
2. Feudum aliud est Ecclesiast. cum, aliud Seculare.
3. Quid feudum sit Ecclesiast. cum, quid seculare, non satis accuratè ostendunt Interpp. definitiones.
4. Definitio feudi Ecclesiastici ab Authore tradita.
5. Feudum Ecclesiasticum duplex est: Aliud Papale, aliud clericale
6. Feuda Pontificis Rom. opima Sacerdotia sunt.
7. Ecclesiastica beneficia olim ab Impp. Romanis conferebantur per sceptrum.
8. Quæritur num Imp Romanus Imperium Rom. à Pontifice in feudum possideat?
9. Papa potestatem deponendi principem Rom. de facto potius quàm de Iure sibi assumit.
10. Imperator recens electus Coronationem su:, nullo jure petere tenetur à Pontifice Rom.
11. Iuramentum illud, quod Imp. Romanus Pontifici in Coronatione præstat, vasallitiæ fidelitatis juramentum non est.
12. In quibus rebus Papa Rom feudum dare possit.
13. Clerici rerum Ecclesiasticarum Administratores tantum sunt.
14. Clericale feudum definitur.
15. Clericorum appellatione quinam contineantur.
16. Vice Dominus, Ecclesiæ Prælati instar, in bonis Ecclesiæ feudum conferre potest.
17. Ecclesiæ Prælatus quatenus in bonis Ecclesiæ suæ feudum alicui dare possit.
18. Cujus Ecclesiæ Prælatus res Ecclesiæ antiquitus in feudum dedisse dicatur.
19. Non omnes res indifferenter Prælatus Ecclesiæ in feudum dare potest.
20. Rem semel in feudum datam, & ad Ecclesiam reversam, integrum est Prælato, denuò in feudum dare.
21. Solitus dare in feudum quis dicatur.
22. Prælatus Ecclesiæ rem aliquam in feudum dare potest etiam absq; consensu Pontificis & Capituli sui.
23. Idem rem Ecclesiæ in feudum dari solitam, denuo in feudum concedere potest, juramento de non alienando non obstante.

24 Num

24. Num Prælato Ecclesiæ rem Ecclesiæ ad se reversam uni ex consanguineis suis in feudum dare liceat, pulchra quæstio est.
25. Idem, rem ejusmodi Ecclesiæ uni ex cognatis in feudum largiendo, omni fraude carere debet.
26. Civitas vel collegium nunquam moritur.
27. In patrimonio Ecclesiæ retinere Prælatus rem debet, si utilius id Ecclesiæ esse, viderit.
28. Decimæ ad solam Ecclesiam ejusque ministros pertinent, non ad laicos.
29. Decimas antè Concilium Lateranense in feudum Laico dari solitas, feudo aperto, an prælatus easdem Laico in feudum denuo dare possit, quæritur.
30. Affirmatæ sententiæ argumenta refutantur.
31. An Prælatus Ecclesiæ res nunquam in feudum dari solitas, cum consensu pontificis & capituli sui in feudum alicui tribuere possit, quæritur
32. In Dominico rem habere, quid sit, variant Interpp.
33. An omnia bona, quæ in Dominico Ecclesiæ sunt, de mensa Prælati esse dicantur, meritò dubitatur.
34. Feudum seculare definitur.
35. Feudum seculare duplex, aliud regale. aliud non regale.
36. Quid feudum sit regale, quid non regale, non convenit inter Interpp.
37. Definitio non regalis feudi à quibusdam tradita
38. Rejectis Interpp. definitionibus, Regale feudum quid sit, Author definit.
39. Feudum aliud est masculinum, aliud fœmineum.
40. Fœmineum feudum quodnam Interpp. appellant.
41. Cujacius distinguit inter feudum, quod fœmina habet. & feudum muliebre.
42. Error Cujacii duplex ab Authore ostenditur.

EXposito hactenus quid feudum sit, quidque ab alio simili jure differat; sequens inspectio erit, quæ feudorum inter se differentia sit: id quod ex eorum distributionibus, ut & supra in partitione hujus tractatus nostri dictum fuit, cognosci facilè planeque potest.

potest. Prima autem distributio erit ex causis, quam Logici esse dicunt, quando partes causæ sunt totius, & totum distributum ipsarum causarum effectus. Sive autem partes nominatim ipsas causas exprimant, sive causali nomine eas significent, perinde est. 1

Ejusmodi ergo feudi distributio hæc est: Feudum aliud ecclesiasticum est, *Germani vocant* Ein Lehen vom krummen Staab/ aliud seculare, *c. 7. Quæ in ecclesiarum, ibi, feudorum ecclesiasticorum, extra de constitutionib. c. Ex transmissa, ibi, de seculari feudo, extra de foro compet. Alvarotus in proemio vecturæ suæ feudalis. vers. Quinta est divisio.* Bald. *in prælud. feudor. num. 56. Ias. in prælud. feud. num. 120.* Zas. *in epit. feud. partic. 2.* Cont. *in methodo de feud. cap. de divisionib. feudor. in prin. Hotoman in disputat. de feud. cap. 4. circa finem* Wesenb. *Tractat. de feud. cap. 2. num. 3* Schrad. *Tractat. feudal. part 2. cap 3. nu. 17. & seq.* 2

Quid autem ecclesiasticum, quid item seculare feudum sit, quidque ab hoc illud differat, definiendo Interpretes non satis accuratè ostendunt; siquidem illud ex sola conferentis persona æstiment, & ecclesiasticum dicant feudum, quod persona ecclesiastica tribuit: seculare verò quod secularis persona concessit; Cum tamen ecclesiasticum feudum 3

dum non sit, quod persona ecclesiastica in allodio suo cuiquam tribuit, *ut arguit textus in Tit 35 in prin. lib. 2 feudor & in l. 3. C de episcop & cler.*

Quidam etiam ecclesiasticum dicunt esse feudum, quod vel ecclesia, vel persona ecclesiastica possidet, licet à Laico, sive seculari persona sit tributum, Ias. *in prælud feud. num. 120.* Zas. *dict. part. 2 num. 7* & Ioan. Oldend. *clas 5. Tit. de actionib. beneficiariis in 4 feudi divisione*, Ubi ejus verba hæc sunt: Ecclesiasticum feudum dicitur, quod vel ecclesia dat alii, vel ipsa accipit ab alio, vel quod clerico conceditur. Sed hanc definitionem erroneam esse, convincitur ex textu *dict. c. Ex transmissa, extra de foro competenti*, Ubi seculare dicitur feudum, quod clericus à Domino seculari possidet. Nihil juvat Interpretum definitionem textus *in Tit. 40. de capitulis Corradi, §. ult lib. 2. feud.* Ubi feudum quod clericus veluti Episcopus, vel Abbas à Rege habet, datum nō personæ tantum, sed & ecclesiæ, beneficium Ecclesiasticum appellari videtur. Nihil, inquam, juvat locus ille Interpp. definitionem. Verbis enim ECCLESIASTICUM BENEFICIUM, non significatur ibi feudum ecclesiasticum, sed munus sive officium prælaturæ, quo fungitur Clericus ille, ut Andr. de Isern. Alvaroth. & Frid. Schenck. Baro rectè interpretan-

pretantur. Feudum enim quod ibi clerico datum dicitur, ipse Clericus sua culpa amisit, & nihilominus beneficium illud ecclesiasticum retinere dicitur. Unde consequens aliud eo loco feudum esse : aliud item beneficium ecclesiasticum.

Quocirca aliæ nobis feudi ecclesiastici, & secularis feudi constituendæ sunt definitiones. Ecclesiasticum feudum est, quod persona ecclesiastica, penes quam ea potestas est, in bonis Ecclesiæ concessit. Duo enim ad hoc, ut ecclesiasticum sit feudum, conjunctim requirimus. Prius est, ut à persona ecclesiastica, cui conferendi feudum potestas data est, collatum sit, qualis est, Pontifex Romanus, Archiepiscopus, Episcopus, Abbas, Abbatissa, Præpositus, *Tit. 1. §. 1. & Tit. 6. in prin. lib. 1. feudor. & Tit. 35. in fin. lib. 2. feud.* 4

Secularis persona si tribuerit feudum aliquod, feudum hoc seculare est, non ecclesiasticum, *dict. c. Ex transmissa, extra de foro compet.*

Alterum, quod ad feudi ecclesiastici constitutionem requirimus, est, ut feudum detur in bonis Ecclesiæ. Feudum enim quod Clericus in allodio suo, sive propriis bonis alicui concedit, feudum ecclesiasticum non est, sed seculare, *ut evincitur tum ex t. 35. in prin. junct. vers. Si tamen ante, l. 2. feud. tum*

tum ex eo, quod clericus in propriis suis bonis pro laico habetur, d. l. 3. ubi Dd. C. de Episcop. & Cler.

5 Est autem feudum ecclesiasticum duplex: Aliud Papale est, aliud Clericale. Papale feudum dicimus, quod Papa Romanus in bonis ecclesiæ confert. In libris quidem feudorum papalis feudi, quod scirem, mentio fit nulla: Verùm quia feudorum jura ipsum Papam Romanum caput agnoscunt ecclesiæ, *ut arguit text. in dict. Tit. 6. in prin. lib. 1. feudor.* eaq́ue Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Abbatissis & Præpositis potestatem cōferendi res ecclesiæ in feudum concedant, *dict. Tit. 1. §. 1. lib. 1. feudor.* dubium est nullum, quin & Pontifici Romano jus permittant bona ecclesiæ in feudum conferendi: *Id quod patet etiam ex Clement. un. in fin. ibi, Ecclesiæ Romanæ Vasallos, Tit. de jurjurand. & c. 2. §. Præter hæc regnum, Tit. de sentent. & re jud. in 6.*

6 Feuda autem, quæ Pontifex Romanus cōferre solet, sunt opima sacerdotia, veluti Archiepiscopatus, Episcopatus, Abbatiæ, Præposituræ, &c. Hotoman. *libr. disputat. de feud. cap. 4. circa finem, & cap. 10. tum etiam ad Tit. 1. §. 1. lib. 1. feud. & ad Tit. 40. §. Item si clericus, lib. 2. feud.*

7 Olim quidem Imperatores Romani per sceptrum ecclesiastica hæc beneficia in feu-

dum

dum conferre ſolebant, ut non modò ſcribit Hotomanus jam dictis locis, & Fridericus Schenck Baro *ad Tit. de feudor. Marchia lib. 1. feudor.* tum etiam Ioan. Schleidan. *lib. 2. commentarior. mihi pag. 33. fac. 2.* ſed & apparet ex ipſo jure Canonico *c. Hadrianus In Synodo, diſtinct. 63.* Verùm pòſt ipſi Pontifices hoc jus ſibi arrogare auſi fuerunt; ſed an jure, vel injuriâ ipſi viderint, cogitantes illud Eſaiæ 49. Et erunt Reges nutritii tui; Item illud, *Luc. 22.* Reges gentium dominantur, vos autem non ſic; tum etiam illud Matth. 22. Datæ Cæſari, quæ ſunt Cæſaris.

Sed nunquid etiam Imperator Romanus imperium Romanum à Pontifice in feudum poſſidet? Canoniſtæ quidem ita ſtatuunt, quando ex conſtitutione Papæ Clementis *in c. un. Tit. de jurjurand. libr. 2. Clement.* aſſerere audent, Vaſallitiæ fidelitatis jusjurandum eſſe, quod Imp. recens electus in coronatione recipienda Pontifici præſtat, *de quo in can. Ego Ludovicus, diſtinct. 63.* Atqui negata concluſio veriſſima putanda eſt; tum quia Romanorum Imperator imperium conſequitur non ab ipſo Papa Romano, ſed ex ſuffragiis Principum electorum; ut non modò Aurea Bulla Caroli IV. teſtis eſt locupletiſſima; ſed & Pontifex Romanus ipſemet fatetur *in c. Venerabilem, extra de elect.* tum quia ut feudum aliquod ſit eccleſiaſticum, 8

 neceſſe

necesse est, constitutum id esse in bonis ecclesiæ, non in secularibus rebus, ut paulò ante ostendi. Imperium autem Romanum res secularis est, idque à persona seculari, non ecclesiastica administrari convenit, ut ipsemet Pontifex Romanus agnoscit *in Can. cum verum distinct. 96. & facit textus in can. ult. distinct. 36.* tum postremò, quia si Imperator Rom. Imperium Romanum à Pontifice in feudum agnosceret, certè ad ipsum Pontificem jure proprietatis imperium pertineret, cùm rei feudalis ususfructus saltem Vasalli sit, proprietas verò Domini, *Tit. 23. in fin. lib. 2. feudor.* Atqui proprio Pontificum testimonio Imperium Romanum proprietate Pontificis non est. Eo ipso enim quod fingunt, Constantinum Imp. occidentale Imperium Sylvestro Papæ donasse, *Can. Constantinus Imperator 14. distinct. 96.* & Imperatorem Ludovicum donasse Paschali Papæ urbem Romanam, cum Italiæ parte, *can. Ego Ludovicus, distinct. 63.* eo ipso, inquam, fatentur apertè, pleneque, Imperium Romanum proprietate Pontificis Romani haud esse. Quid enim opus fuisset hac donatione, si jam ante res illæ de Imperii patrimonio donatæ Pontificis fuissent?

Quod autem Papa Romanus potestatem sibi assumit deponendi Principem Romanum, *c. 2. Tit. de sentent. & re judic. in 6. & can*

can. alius item, 15. quæst. 6. id potius fit de facto, quàm jure. Siquidem penes illos tantum removendi potestas sit, penes quos eligendi jus est, *l. Nihil tam naturale 35. ubi Dd. ff. de reg. jur.*

Quod item vacante imperio Pontifex se Imperatorem esse dicit; *in c. un. Tit. 4. Ne sede vacante aliquid innovetur, in extravagantibus constit*; id tandiu falsum esse putabimus, quandiu jura nostra sonant, in causa testis proprium testimonium non valere. Ex Aurea Bulla Caroli IV. *Tit.* Von Rechten deß Pfaltzgraven und Hertzogen zu Sachsen / manifestè apparet, quod vacante Imperio, ejus tutores & administratores distinctis provinciis sunt Elector Palatin. & Elector Saxoniæ.

Quod similiter Imperator recens electus sui coronationem à Pontifice Romano petit, *Can. Ego Ludovicus, dist. 63.* ad id nulla Imperii constitutione obligatus est: ex sola consuetudine fieri id solet: & quidem converso rerum ordine, ut Schleidanus scribit, *lib. 2. Commentar. mihi pag. 33. fac. 2.* Antiquitus Ecclesiæ Imperatori suberant, & ipse Imperator Pontificem Romanum eligebat; & Episcopos investire solebat, *Can. Hadrianus, & Can. in Synodo, distinct. 63. & scribit Ferd. Vasq. lib. 1. controversiar. Illustr. cap. 22. nu. 7. & seq. tum etiam Ioan. Schleidanus dict. lib. 2. commentar: mihi pag. 33. fac. 2. vers. Nam olim Episcopi.*

11 Quod denique juramentum illud attinet, quod Imperator Romanus Pontifici in coronatione præstat, id vasallitiæ fidelitatis juramentum esse certò affirmari non potest; cum id neque ex verbis *dict. Clement. un Tit. de jurejurand.* appareat, neque jus feudi in Imperatorem Pontifex, ut suprà ostendi, habeat ullum. Quinetiam nulla Imperii lege ad eam juratoriam cautionem Imperator teneatur. Unde etiam Henricus ejus nominis septimus, è familia Lucenburgica Cæsar, noluit ad eum modum se Pontifici obligare; affirmando novi rem esse exempli, nec usurpatum ætate superiori, ut scribit *Schleidan. dict. lib. 2. Commentar. pag. 33. fac. 2. vers. Cum enim Henricus.*

12 Etsi verò Pontifex Romanus feudum dare possit non modò in bonis suæ apostolicæ sedis, *c. ad apostolicæ §. Præter hæc, Tit. de sent. & re judic. in 6.* Sed & in rebus omnium Ecclesiarum, vt tradit Bald. *ad Tit. 1. num. 2. lib. 1. feudor. Ias. ad eundem Tit. num. 5.* Curt. Jun. *Tractat. feudal. part. 2. quæstione 11.* Zas. *in evit. feud. part. 5. num. 44.* Ioann. Schneid. *Tractat. feud. part 3. num. 13. & seq.* & Schrader. *Tract. feud. part. 4. capit. 2 nu. 4.* Siquidem monarcha, & caput sit omnium Ecclesiarum, *can. cuncta per mundum, & can seq. can. Per principalem, Can. Patet, & can. Nemo, 9. quæst. 3. & can. 2. distinct. 22.*

& ple-

& plenaria ipsi in ecclesiasticis dispositio permissa sit, *c. 2. Tit. de præbendis in 6. & c. 1. in fin. extra ut lite pend. nihil innovetur.* Clerici verò, quamvis primi gradus sint, administratores tantum rerum ecclesiastica- 31
rum sint constituti, *c. 2. extra de donat. & c. ut super, in fin. extra de reb. eccles. alienand. vel non*: Attamen si res ecclesiæ magnas, & preciosas, puta Civitates in feudum concedere velit, Papa Roman. Cardinaliũ consensu opus erit, *arg. l. Placet 5. ibi rationabilis consilii tenore perpenso C. de SS. Eccles. & l. Humanũ 8. C. de legib. & c. Per venerabilem, in verb. rationibus igitur, extra Qui filii sint legit. Bald. ad l. Cum multa 7. num. 3. in fin. C. de bonis, quæ liber.* Jas. *ad Tit. 1. numer. 5. lib. 1. feudor.* Quod tamen quidam de honestate, non necessitate procedere volunt, *arg. d. l. Humanum, C. de legib.*

Clericale feudum est, quod ex Clericis Prælatus ecclesiæ, veluti Archiepiscopus, 1
Episcopus, Abbas, Abbatissa, Præpositus, in bonis ecclesiæ suæ alicui constituit.

Qui clericorum appellatione contineantur, explicat textus *in Can. Cleros 2. §. Ge-* 15
neraliter, distinct. 21. Ubi in eorum numero ipse Pontifex non habetur, sed princeps Clericorum dicitur. Archiepiscopus tamen, Episcopus, Abbas, & Præpositus, ibidem

clericis connumerantur, *ut & in Tit. 40. §. ult. ibi, Item si clericus, veluti Episcopus, Abbas, lib 2. feudor. & Tit. 35. in prin. lib. eod. feud. junct. Tit. 1. § 1. & Tit. 6. in prin. lib. 1. feudor.* Et licet textus in *Tit. 25. §. Si Dominus & Tit. 26. §. Hæc omnia lib. 1. feudor. & dict. Tit. 35. lib. 2. feudor.* generaliter de clericis loquantur, quasi illi omnes sine discrimine feudum in bonis ecclesiæ constituere possint: exaudiri tamen debent de solis prælatis, *Tit. 91. §. A prælatis ecclesiarum in extraord. capit.* putà Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Abbatissis, & Præpositis, *per text. in dict. Tit 1. § 1. Tit. 3. in prin. Tit. 6. in prin. lib. 1. feudor.* qui omnes cum primates Ecclesiæ sint, prælati appellatione continentur *c. Decernimus, ubi gl. & Canonistæ extra de judiciis c. 1. extra de ætate, & qualitate, & ordine præficiendorum.*

56 Ut Ecclesiæ Prælatus, sic & vicedominus in bonis Ecclesiæ feudum dare potest, textus est *in dict. Tit. 6. in prin. ibi, vel dominus plebis lib. 1. feudor.* Ubi Cujac. Dominum plebis interpretatur vicedominum. Ipse Episcopus appellatur in Ecclesia Dominus, unde ei, teste Cujacio *ad c. Exanimata extra de judic. & c. significavit 41. extra de testib. & attest.* in Pontificiali Ecclesia his occinitur verbis: IUBE DOMINE BENEDICERE. Vicarius autem Episcopi vice Dominus appella-

pellatur *in Can. volumus, & can. seq. distinct. 89. c. Exanimata 15. extra de judic.* ex eo, quod vicem gerit Episcopi in omnibus negociis ecclesiasticis, *Cujac ad dict. c. Exanimata extra de judic.* Unde & hoc feudum, quod à vicedomino in ecclesiæ bonis constituitur Clericale feudum est.

Eatenus verò Ecclesiæ prælatus in bonis ecclesiæ suæ feudum alicui dare potest, quatenus consuetudo illius fuerit antiquitus feudum dare, *Tit. 1. §. 1. ibi Si antiquitus consuetudo eorum fuerit feudum dare, & Tit. 6. in fine, principii, ibi, vel alia ecclesiastica persona, quæ antiquitus non sit solita in feudum dare, libr. 1. feudor. & Tit. 35 in fin. ibi, Et feuda his aperta, olim dederant, libr. 2. feudor. & dict. Tit. 91. vers. Hæc autem, ibi, sive Ecclesiastica, sive antiquitus eorum consuetudo fuerit, in extraord. capit.* 17

Illius autem Ecclesiæ prælatus dicitur antiquitus in feudum dedisse res Ecclesiæ suæ, qui ante Vrbani II. Papæ Romani constitutionem prohibitoriam in Synodo Placentiæ habita promulgatam consueuit res ecclesiæ suæ in feudum dare, *Tit. 6. in prin. ubi Frid. Schenck. Baro, lib. 1. feud.* 18

Non tamen omnes omnino res Ecclesiæ suæ hujusmodi prelatus in feudum dare potest, sed eas tantum, quæ solitæ sunt dari in 19

feudum & jam feudo aperto ad Ecclesiam sunt reversæ, *dict. Tit. 6. in prin. ibi, quod ante datum fuerit, lib. 1. feudor. & dict. Tit. 35. vers. Et ideo, ibi, Sed si ei postea feudum aperiatur ipsum, rectè dabit, lib. 2. feudor. & c. 2. extra de feud.* Infeudatio enim rei quæ solita est dari in feudum, non est nova infeudatio, sed veteris continuatio & executio, Curt. Jun. *Tract. feudal. part. 2. quæst. 1. nu. 7. & quæst 2. nu. 6. & 8.* Roland. *à Valle consil. 1. nu. 83. vol. 1.*

20 Et licet ante prędictam Urbani Papæ constitutionem res semel fuerit in feudum data, integrum tamen est Prælato eam ad ecclesiam reversam, denuò in feudum dare, Hostiens: *in summa de feud.* § *Quis possit*, Item Imola *in l. Quod dicitur 86. col. fin. ff. de verb. oblig.* Curt. Jun. *in tract. feud. part. 2. quæst. 4. num. 8. Rum. consil. 35. nummer. 30. vol. 1.* Anton. Gabriel. Roman. *Tit. de locat. conclus. 1. num. ult. mihi pag. 186. fac. 2.* Zas. *in epit. feud. part. 5. nu. 52.* & Ludolph. Schrad. *Tractat. feudal. partic. 4. capit. 2. numer. 25.*

21 Nam & ille dicitur solitus dare, qui semel tantum, & quidem novissimè dedit; Cum verbum illud, *solitum*, verificetur etiam in unica vice, eaque novissima, *Bart. ad l. Melo 14. §. 2. ff. de aliment. & cibar. legat. & ad l. 1. ubi etiam Ang. & Paul. de Castro, C. quomodo & quand.*

& quand. jud. Alex. consil. 5. num. 11. vol. 5. Ang. Aratin ad §. Ex non scripto, in fin. Instit. de jure naturali gent. & civil. Anton. Gab. Roman. dict. Tit. de locat. Roman. conclus. 1. num. 6.

Est & illud hic monendum, quòd ecclesiæ Prælatus rem aliquam ejusmodi in feudum alicui dare potest, etiam absque consensu Pontificis, *c. 2. extra de feud. & c. ut super, extra de rebus eccles. alienand. vel non*, Item absque capituli sui consensu, *textus est in Tit. 26. §. In Clericorum, lib. 1. feud.* Curt. Jun. *Tractat. part. 2. quæst. 1. & 2. ubi hanc quæstionem disputat.* 22

Et licet Prælatus juramento confirmaverit, se rem Ecclesiæ ne quidem per feudum alienare velle, attamen ei planè integrum est, rem ecclesiæ in feudum dari solitam denuò alicui in feudum concedere, *dict. 2. extra de feud. Roland. à Valle, consil. 1. num. 83. vol. 1. Schurff. consil. 45. num. 7. & 8. cent. 1.* 23

Sed pulchra quæstio se nobis hic offert, sitne integrum Prælato ecclesiæ, rem ecclesiasticam, in feudum dari solitam, si ea feudo aperto reversa sit ad ecclesiam, uni ex consanguineis suis in feudum concedere? Affirmatæ sententiæ patrocinium jure deberi planè statuo; tum per text. *in Tit. 91. vers. ult. in extraord. cap. & text. in c. dilecto filio, extra de prebend.* tum quia secundum naturam est, 24

ut unus quisque proprium sanguinem extraneæ personæ præferat, *l. Cum acutissimi 30. C. de fideicommiss. Can. Non æstimamus, vers. Diligentius tamen, 12. quæst. 2.* & prima liberalitas circa proximos operari debet, *can. Non satis distinct. 86.* tum etiam, quia prælatus, quæ extraneis relinquere potest, eadem quoq; consanguineis suis tribuere non prohibetur, *c. Relatum 12. vers. Licet, ibi, sive sint consanguinei, sive alii, extra de testam.* Ad has rationes accedit quoque Doctorum autoritas, qui hanc conclusionem probare dubitant nihil, ut sunt Bald. *ad Tit. 1. num. 9. lib. 1. feudor.* Curt. Jun. *tract. feud. part. 2. quæst. 7.* Duar. *in Commentar. in consuetud. feud. capit. 6. num. 5.* Menoch. *lib. 3. præsumpt. præsumpt. 54. nu. 8.* Mynsing. *obser. 47. cent. 5.* Ubi magis receptam hanc sententiam, eique communem Germaniæ consuetudinem suffragari dicit.

Sed obstare videtur, quod feudum, & emphyteusis à pari procedunt; & argumentum ab emphyteusi ad feudum probabile, frequens & multum utile dicitur, *Everhard. in Topicis legalib. in loco ab emphyteusi ad feudum.* Emphyteusin autem Ecclesiæ Oeconomus suis consanguineis, aut affinibus constituere in rebus Ecclesiæ non potest, *Nov. 120. cap. 5. §. Oeconomis & Auth. Quibuscunque C. de SS. Eccles.*

Sed

Sed dupliciter responderi ad difficultatem illam potest. Primò eam Iustiniani constitutionem novellam loqui de ecclesiæ rebus, quæ nunquam, nec per emphyteusin alienatæ fuerint: Hic verò differimus de rebus ecclesiæ, quæ solitæ sunt per feudum alienari. Deinde Iustiniani legem eam novam agere saltem de ecclesiæ oeconomis, aliisque administratoribus bonorum ecclesiæ, non de prælatis ecclesiæ, de quibus hic nobis sermo est. Quocirca nova cum sit constitutio strictè intelligi debet, non etiam ad Ecclesiæ prælatum, & ad feudi concessionem porrigi, per text. *in l. Præcipimus 92. in fin. C. de appellat & in c. 1. Tit. de constitutionib. in 6.*

Si tamen Ecclesiæ prælatus duos consimiles Vasallos Ecclesiæ possit adquirere in illo feudo, duobus tribuere illud debet, non uni consanguineo suo, vel extraneo concedere, *per text. in dict. Tit. 91. vers. ult. in extraord. capit.*

Quinetiam omni fraude carere debet prælatus, quando uni ex cognatis suis rem ejusmodi Ecclesiæ in feudum largitur, *Can. quisquis, vers. Non liceat, 12. quæst. 2.* Unde in feudo illo Ecclesiæ conditionem deteriorem, & duriorem efficere non potest, *c. 2. extra de donat.* Sed vel eâdem lege dare illud debet, qua prior Vasallus id possedit; 25

vel ea

vel ea lege, quæ ecclesiæ sit utilior, *per text. in Tit. 34 §. Similiter in prin. & vers. Profectò ille, lib. 2. feud.*

Vnde si consuevit feudum dari masculis, & ad certam duntaxat generationem, certè prælatus fœminæ, aut in perpetuum tribuere illud minimè debet, *dict. Tit. 34. §. Similiter, ibi. Si secunda persona sit talis, lib. eod. feud. & docet Curt. Iun. Tractat. feudal. partic. 2. quæst. 6. num. 1.*

Et si feudum persona singularis possederit primum, dare illud prælatus vniversitati alicui non debet, puta civitati, aut collegio cuidam; Nec in potentiorem aliquem conferre illud debet, *Bald. ad Auth. Quibuscunque, C. de SS. Eccles. Alex. consil. 9. num. 5. vol. 3. Curt. Iun. dict. Tract. feudal. partic. 2. quæst. 9.*

26 Cum enim civitas, aut collegium nunquam moriatur, spes nulla est, ut feudum ei datum ad ecclesiam revertatur, *l. An usussusfructus, 56. ff. de usufruct. l. Si ususfructus 8. ff. de usu & usufruct. leg.* & difficile est, litem movere adversus potentiorem, quàm inferioris sortis hominem plebeium, *l. 1. §. ult. & l. 2. ff. de alienat. judic. mutand. causa fact. & te. Tit. C. Ne liceat potentiorib. patrocinium litigantib. præstare.*

27 Quód si etiam viderit prælatus utilius esse ecclesiæ, ut denuo non conferatur res in feudum,

dum, ſed in patrimonio eccleſiæ pleno jure retineatur, ſanè reſervabit eam in ſolum eccleſiæ uſum, *c. 2. ibi, Si viderit expedire extra de feud.* ut ſi res ea ſterilis fuerit in feudum data, & cultior feudo aperto ad eccleſiam reverſa ſit, *Duar. in comment. in conſuetud. feud. cap. 5. num. 5.* vel tempore conceſſionis prioris eccleſia locuples fuerit, poſtea verò inopia laboret, Iacob de Belviſo *ad Tit. 1. li. 1. feud. pag. 6. fac. 2.* Curt. Jun. *Tract. feud. part. 2. quæſt. 1. nu. 12. & 13.* Zaſ. *in epit. feud. part. 5. nu. 59.*

Non eſt hoc loco omittenda quæſtio de decimis. Decimæ ad ſolam eccleſiam, ejuſq; miniſtros pertinent, non ad laicos: quibus etiam à Prælato concedi non poſſunt, ne quidem conſentiente capitulo, *c. Ad hæc, c. Quamvis, c. Prohibemus extra de decimis.* Unde nec ulla præſcriptione laicus ſibi eas adquirere poteſt, *c. Cum cauſam, 7. extra de præſcriptionib.* Cum enim dicimæ conceſſæ dicantur in uſum pietatis, *can. Decimas, 1. 16. quæſt. 7.* & tributa ſint egentium animarum, quarum cura præcipua eſt ſacerdotum, id eſt, quia dependuntur in hoc, ut ſacerdotes, qui eas percipiunt, inde ſe, & pauperes alere poſſint, *Can. decimæ 16 quæſt. 1.* non à laicis, ſed ab eccleſia, & clericis detineri debent. Et in tantum ad laicos transferri decimæ nequeunt, ut ne quidem per in feudationem 28

onem id fieri possit, *c. Cum Apostolica, extra de his, quæ fiunt à prælatis sine consensu capituli.* Lateranensi enim concilio, quod sub Alexandro tertio ejus nominis Pontifice, Anno Christi 1179. habitum fuit, teste Beroo *consil. 21. num. 1. libr. 1.* Singulariter cautum intelligimus, ne decimæ laicis in feudum dentur, *dict. c. Cum Apostolica, in fin. extra dict. Tit. & c. 2. §. Sanè quamvis, Tit. de decimis in 6.*

29 Hinc quæritur, si ante concilium illud decimæ quędam fuerint solitę dari laicis in feudum, eæque feudo aperto ad ecclesiam sint reversæ, num denuò prælatus Ecclesiæ eas laico in feudum tribuere queat? Et licet affirmans conclusio fundamentum habere videatur *in c. 2. extra de feudis*, eamque nonnulli amplectantur *gl. ad d. c. prohibemus in verb. Laicos extra de decimis. Cardinalis Florentinus, ad dict. c. 2. extra de feud. tum etiam alii, quos refert Menoch. lib. 6. de præsumpt. præsump. 86. num. 3. in fin:* Attamen veritati propior est negata sententia; tum quia concilii Lateranensis sanctio de decimis ad laicos non transferendis generalis est: tum quia ne laicus quidem decimas, quas in feudum jam possidet, adquisitum scilicet ab ejus parentibus ante concilium illud, alii laico in feudum concedere potest, *dict. c. Prohibemus, in prin. extra de decimis*; Cum tamen

Vasal-

Vasallus de feudo suo investiendi alium, jus & potestatem habeat liberam, *Tit. 3. §. Sed etiam res vers. Per feudum tamen, Tit. 9. in prin. vers. Si vero Tit. 26. §. Beneficium, & Tit. 34. §. similiter, libr. 2. feudor.* Etiamsi feudum sit ecclesiasticum, *Curt. jun. tract. de feud. part. 1. capit. 2. num. 1. pag. 13.* tum etiam quia cum laicus ipso jure capax non sit decimarum, licet ei dentur in feudum decimæ; concessio tamen illa pro nulla habetur; ut quæ contra legem facta constat, *per l. non dubium 5. C. de legib.* tum postremò quia infeudatio de decimis Laico etiam ante prædictum Lateranense concilium facta, contra juris dispositionem, & de facto saltem celebrata dicitur, *in dict. c. 2. §. Sanè quamvis, ibi, post talem infeudationem, vel recognitionem sic de facto præsumptam, junct. vers. ult. Tit. de decimis in 6.*

His argumentis adjicienda quoque autoritas Doctorum quos referunt, & sequuntur Menoch. *dict. præsumpt. 86. numer. 3. & Fachinæ. libr. 7. controversiar. jur. capit. 72.*

Non infringit hanc conclusionem textus 30
in dict. cap. 2. extra de feud. Quod enim ibi generaliter de rebus Ecclesiæ in feudum dari solitis cautum legimus, extendi ad decimas minimè debet; cum, ut ostendi, spe-

ſpecialiter prohibitæ ſint decimæ laicis concedi, etiam per feudum. Generi autem per ſpeciem in toto jure derogatum ſcimus, *vulgata l. In toto jure, 80. ff. de reg. jur.*

Deinde ſi objecerit hic aliquis, concilium Lateranenſe loqui duntaxat de decimis, quæ nunquam antea in feudum dari ſolitæ fuerunt: reſpondendum, cum ne quidem ante concilium illud jure potuerint decimæ per infeudationem in laicum transferri, *ut oſtenditur in d. c. 2. §. Sanè quamvis. Tit. de decimis in 6.* patet inde, quod eodem concilio prohibeantur etiam illæ decimę per feudum transferri in laicum, quæ ante concilium illud laico in feudum datæ fuerunt.

31 Sed ulterius quæri hic poteſt, ſitne integrum Prælato eccleſiæ, cum conſenſu Pontificis, & capituli ſui, res eccleſiæ, nunquam in feudum dari ſolitas, tribuere alicui in feudum? Et licere id ei, ſi ex neceſſitatis vel utilitatis cauſa ſolenniter diligenterque perpenſa à capitulo fiat, juris autoritas arguit. Cum enim hac ſolennitate adhibita alio modo alienari bona eccleſiaſtica poſſint, *c. 1. verſ. Quia etiam, c. 2. in prin. Tit. de reb. eccleſ. non alienand. in 6. can. Sine exceptione, 12. quæſt. 2. junct. c. ad noſtram extra de reb. eccleſ. alien. vel non Didac. Covar. lib. 2. var. reſolut. cap. 17.* Cur non æquè in feudum alicui dari poſſent? cum proprietatem ipſam

eccleſia

ecclesia retineat, eique pro ipso feudo servitia præstentur, *Tit. 23. § ult. lib. 2. feud.*

Cæterum textus *in Tit. 35. §. ult. libr. 2. feudor.* arguere videtur, quod & citra prædictam solennitatem prælatus ecclesiæ res eius in feudum dari insolitas concedere alicui in feudum jure queat. Dissimiliter enim comparantur eo loco Archiepiscopus Mediololonensis, & cæteri ecclesiarum Prælati. Illi namque ademptum dicitur jus conferendi in feudum ea, quæ in dominico habet: His verò potestas dandi in feudum etiam ea, quæ in dominico habent, sine ulla prædictarum solennitatum mentione tribuitur. 32

In dominico rem habere, quid sit, variant Interpretes, Fridericus Schenck. Baro, cum aliis *ad dict. Tit. 35. lib. 2. feudor.* in dominico eas ecclesiæ res esse putat, quæ de mensa prælati esse dicuntur, *in C. ut super, ibi, de mensa sunt archiepiscopi extra de rebus ecclesiæ alienand. vel non:* & dominicum interpretantur librum censualem, in quem bona ecclesiæ sunt relata. Hotomanus verò *libr. de verbis feudalibus, in verb. dominicum*, interpretatur hoc nomen patrimonium domini. Sed quia villę dominicatæ opponuntur villis in feudum alicui datis apud Aymonium, quem citat dicto loco Hotomanus, patet inde, *ut & ex textu dict. Tit. 35. in fin lib. 2. feudor.* dominici appellatione ea ecclesiæ bona

K signifi-

ſignificari, quæ penes eam pleno ſunt jure: ita ut nullus in eis vel feudum, vel emphyſin, vel uſumfructum habeat.

33 Sed an bona hæc omnia, quæ in Dominico eccleſiæ ſunt, de menſa prælati eſſe dicantur non immeritò quis dubitaverit: Cum longo ſtylo Interpretes diſceptent, & quærant; An, & quando res etiam illæ de menſa eccleſiæ efficiantur, quæ ſolitæ ſunt dari in feudum, vel emphyteuſin, ſed aperto feudo, vel emphyteuſi ad eccleſiam ſunt reverſæ? Et ſanè inſpectio hæc ocioſa eſſe non videtur, cum res quæ de menſa eccleſiæ ſunt, ſine prædictis ſolennitatibus in feudum, vel emphyteuſin dari nequeant; cæteræ vero rectè per feudum vel emphyteuſin, etiam abſque illis ſolennitatibus, alienari poſſint, *Menoch. poſt alios libr. 2. de arbitr. judcent. 5. caſu 433 & conſil. 79. libr. 1. & lib. 6. præſumpt 87. Fachinæ. libr. 1. controverſiar. jur. cap. 71.*

Eſt autem communis ſententia, ut ex Menochio *dictis locis* apparet, de menſa eccleſiæ citra dubitationem illa cenſeri bona, quæ ſemel eccleſiæ adquiſita ſemper in ejus patrimonia manſerunt, nec unquam alii in feudum, vel emphyteuſin, aut uſumfructum conceſſa fuerunt. Res verò illas, quæ aperto feudo, vel emphyteuſi ad eccleſiam reverſæ ſunt, de menſa effici eccleſiæ volun-

tate

tate Prælati expressa vel tacita. Expressa eius voluntate, si expressè declaret prælatus, se velle, ut ea res in futurum de mensa prælaturæ, & ecclesiæ sit. Tacita voluntate, si ex conjecturis quibusdam ea colligatur: quarum conjecturarum prima hæc est, si rem ejusmodi describi faciat in codicibus ecclesiæ, vel prælaturæ, & incipiat eam habere cum rebus aliis mensæ, ecclesiæ. Altera si prælatus per aliquod tempus rem hujusmodi tractet, eaque fruatur, ut aliis rebus, quæ sunt de mensa ecclesiæ. Ad quam conjecturam alii sufficere putant, si ecclesia reperiatur in possessione illius rei, ex possessione illa incorporationem ecclesiæ factam præsumi. Alii verò requirunt tempus unius anni, alii decennium, alii tricennium: alii cursum temporis exigi negant, sed solennitatem desiderant eam, quæ exigitur, cum in feudum vel emphyteusin res ecclesiastica conceditur, alii autem hanc rem; siquidem jure definita non sit, rectius arbitrio judicis committendum putant.

Verum enimverò, omissa isthæc opinionum varietate, ita planè sentio, res ad ecclesiam ex feudo, vel emphyteusi reversas vivo præsente prælato, fieri de mensa ecclesiæ

pro arbitrio, & voluntate ipsius viventis adhuc prælati. Si verò defuncto prælato, cujus tempore ad ecclesiam res ejusmodi reversa fuit, dubium sit, apud præsentem prælatum successorem, utrum à præcessore effecta sit de mensa ecclesiæ, nec ne, haberi eam in dubio pro incorporata ecclesiæ, eiusque mensæ, proindeque non nisi adhibitis prædictis solemnitatibus denuò in feudum concedi eam posse, per text. *in dict. cap. ut super, extra de reb eccles. alienand. vel non,*

Ex prędictis intelligitur, in dominico quidem esse & eas res, quæ ex feudo, vel emphyteusi ad ecclesiam sunt reversæ: Verum has res omnes non esse de mensa ecclesiæ.

Quod autem attinet ad text. in dict. Tit. 35. in fin. lib. 2. feudor. ejus sententia ex iis, quæ hactenus dicta sunt, hæc esse colligitur: Prælatos ecclesiæ eas res in feudum sine solennitate prædicta alicui concedere posse, quas in dominico suo habent, ut aperto feudo ad ipsum dominicum sint reversæ, sed necdum ecclesiæ ejusque mensæ incorporatæ.

34 De feudo ecclesiastico hactenus: Seculare feudum est, quod primitus persona secularis laico vel clerico dedit, *c. ex transmissa, extra de foro compet.* Ex quo loco intelligimus seculare feudum æstimari, non ex qualitate personæ, cui datur, sed ex conferentis

tantum

tantum persona: & feudum seculare esse, licet & clerico datum sit: modò à seculari persona sit tributum.

Neque obstat textus in tit. 40. §. ult. lib. 2. feudor. Ubi agitur de feudo à Rege, atque ita à seculari persona dato alicui clerico: quod feudum ibidem appellari videtur beneficium ecclesiasticum. Non, inquam, obstat ille locus. Ut enim suprà ostendi, per ecclesiasticum beneficium non significatur ibidem illud ipsum feudum, quod Rex clerico dedit, sed munus sive officium prælaturæ, quo fungitur idem Clericus. Unde errant feudorum interpretes, cum ex eo loco contra clarissimum textum *in dict. c. Ex transmissa, extra de foro compet.* probari autumant, feudum ecclesiasticum & illud esse, quod secularis persona clerico tribuit.

Est autem seculare feudum duplex: Aliud est regale, aliud non regale, *per text. in Tit. 34. in prin. ibi, de beneficio regali lib. 2. feudor.* 35

Quid regale, quid non regale feudum sit non convenit inter interpretes. Quidam illud regale dicunt esse feudum, quod annexam dignitatem habet: Non regale, quod dignitatis expers est, *Laudens ad Tit. 1. nu. 30. lib. 1. feudor. Iacobin de S. Georg. Tractat. de feudor. in verb. Infeudum. num. 5 Ioannes Borcholt in comment in consuetud feudor. cap. 4. num. 12.* 36

 Alii

Alii regale definiunt feudum, quod à Principe, superiorem non recognoscente, cum dignitate regali concessum est; cujusmodi dignitatem dicunt esse regnum, electoratum, ducatum, Marchionatum, comitatum, *Schrader. post alios tractat. feudal. part. 2. cap. 3. num. 3. & Herman. Vult. lib 1. de feud. cap. 8. num. 10.* Atque ita regale feudum ex duabus existimant rebus; ex persona scilicet dantis, & rei, quæ in feudum datur, qualitate, *Duaren. in commentar. in consuetud. feudor. cap. 4. nu. 7.*

17 Non regale feudum nonnulli definiunt omne feudum, quod non habet annexam regalem dignitatem; sive à Principe, superiorem non recognoscente, sive ab alio inferiore sit datum, *Schrader dict. cap. 3. nu. 9.*

Aliqui verò feudum hoc esse dicunt, quod ab inferiori dependet: id est, quod ab eo, qui superiorem recognoscit, alicui tributum est, *Vvesenbec. Tractat. de feudis capit. 2. num. 4.* Quidam autem non regale feudum esse putant, quod à summo Principe, & quidem cum dignitate, sed ea, quæ inferior est regali dignitate, concessum est, *Vult. lib. 1. de feud. dict. cap. 8. num. 10.*

18 Sed rejectis definitionibus hisce omnibus, regale feudum illud esse ajo, quod à Rege, id est Imperatore, alicui est concessum, sive regalem, vel aliam dignitatem annexam habeat

sive

ſive non habeat eam annexā, *per text. in Tit. 34. in prin. ibi, quia ſi inter duos quicūq; fuerint de beneficio regali cōtroverſia fuerit, quorū uterque à Rege ſi dicit inveſtitū fuiſſe &c. li. 2. feud.*

Et ſanè errant Interpretes, quando regalē dignitatem non tantum in regno, ſed & electoratu, ducatu marchionatu, & comitatu ponunt, ut arguit text. *in Tit. 14. in prin. ibi, de marchia, vel Ducatu, vel comitatu, vel aliquo regali dignitate, libr. 1. feudor.* Ubi expreſſiſſimè regalis dignitas ipſi marchiæ ducatui, comitatui opponitur. Eſt quidem ipſa marchia, ducatus, comitatus, dignitas aliqua, *Tit. 13. in fin. lib. 1. feud.* At regalis dignitas non eſt, ut modò oſtendi.

Æſtimandum ergo regale feudum à ſola efficiente cauſa, ipſo ſcilicet Rege, id eſt Imperatore, qui feudum dedit, *ut evincitur ex textu in dict. Tit. 34 in prin lib. 2. feud.*

Unde ſequitur non regale feudū illud eſſe, quod ab alio, quam Rege, ſive Imperatore Romano alicui tributum eſt.

Dicitur quidem & ille Rex, qui regnum aliquod poſſidet: verū in jure noſtro, ipſe Imperator ubiq; Rex nominatur *ut in Tit. 26. in prin. verſ Si vero ad Regem, junct. præcedente verſ. Hic n. l. 1. feud. & Tit 54. de allodiis verſ. ut autem, lib. 2. feud.* Unde ſenſus imperialis dicitur regalis ſenſus, *in l. ult. C. de legib.* & culmen Imperiale vocatur regale culmen *in l. 3. C. de quadriennii præſcript.* Pon-

Pontifex quoque Romanus ſceptrum Cæſaris appellat regale ſceptrum, *in c. Inter dilector, § Sed contra, extra de fide inſtrument.* & Poteſtas Imperatoris vocatur regalis poteſtas, *in c. ſolitæ, extra de majoritate, & obedient.* & in receſſibus imperii Fridericus Imp. itemque Maximilianus I. ſe aliquoties Reges Romanos, & Cæſaream ſuam majeſtatem, Regiam appellant majeſtatem; ut proinde regale feudum meritò cenſendum ſit, & æſtimandum à ſola efficiente cauſa, Rege ſcilicet, & Imperatore, à quo dependet: non etiam à re, quæ in feudum conceditur: quippe cum aliàs illud duntaxat regale eſſet feudum, quod Imperator Romanus in regali dignitate, id eſt, regno alicui conſtituit, *ut oſtendi ex dict. Tit. 14 in prin. libr. 1 feudor.* Cum tamen omne feudum, ut dixi regale ſit, quod à Rege, id eſt, Imperatore alicui datum eſt, *dict. Tit. 34 in prin. lib. 2. feud.*

39 Eſt & illa ex cauſa efficiente feudi diſtributio, qua feudum diducitur in feudum maſculinum, & fœmineum feudum: *quæ diſtributio colligitur ex Tit. 30 de feudo fœmineo, ibi quia fœmineum eſt feudum, & Tit. 50. ibi, vel niſi ſit fœmineum, lib. 2. feudor.*

Maſculinum feudum eſt, quod primitus adquiſivit maſculus. Fœmineum, quod fœmina primitus adquiſivit, ut loca jam adducta abunde arguunt, & docet præter alios

Cujac.

Cujac. *ad Tit. 15 An maritus succedat uxori, lib. 1. feudor Vvesenbec. tract. de feudis capit. 2. num. 5. Hartmanus Pistoris libr. 2. quæst. jur. quæst. 34. num. 13.*

Interpretes quidem & illud feudum ap- 40
pellant fœmineum feudum, in quod ex pacto investituræ, vel more regionis fœminæ quoque succedunt, licet à masculo primum sit adquisitum, *Alvarot. in proemio commentariis in usus feudorum, sub divisione feudi 8. Sonsbeck. in commentar. in usus feudor. par. 3. num. 23. Ant. Cont. in commentar. in consuetud feudor. cap. quibus personis feud. dari possit, & Hotoman. ad dict. Tit. 30. in verb. quia fœmineum, & ad dict. Tit. 50. in verb. vel nisi sit fœmineum, libr. 2. feudor.* Verum errore ducuntur. Feudum enim, quod ex pacto investituræ ad fœminas quoque pertinet, disertè sejungitur à fœmineo feudo, *in dict. Tit. 50. his verbis: Filius Patri succedit, & non filia, nisi ex pacto, vel nisi sit fœmineum, & Tit. 11. in prin. vers. Proles enim, ibi, Nisi ejus conditionis sit feudum, vel pacto adquisitum, lib. 2. feudor. quo posteriori loco, his verbis: nisi ejus conditionis sit feudum, nullum aliud quam fœmineum significari feudum extra controversiam est.* Cum ergo feudum hoc opponatur ibi feudo illi, quod ex pacto investituræ ad fœminam quoque transit, sequitur inde feudum ejusmodi non esse feudum fœmineum.

Non suffragatur interpretum opinioni textus generalis in dict. Tit. 30. in prin. libr. 2. feud. His enim verbis: *Si fœmina habens feudum decesserit, quia fœmineum est feudum,* significatur duntaxat feudum illud, quod ipsamet fœmina, quæ illud habet, primum adquisivit, non etiam feudum, quod masculus adquisivit, sed ex pacto investituræ ad fœminam successione pervenit. Primò enim opponitur ibidem feudum, quod fœmineum Iurisconsultus appellat, feudo alteri, quod ex speciali pacto ad fœminas transit. Deinde arguit idem sequens textus *in* §. *Alii verò*, & quidem bifariam. Primò quia ostendit, quod quidam senserint in feudum illud, quod fœmineum Jurisconsultus in principio illius tituli appellat, fœminas non succedere, nisi per speciale pactum investituræ id nominatim fuerit actum; quæ sanè restrictio non nisi ineptissimè de feudo per masculum adquisito, exaudiri potest. In hoc enim feudum nisi tale pactum fuerit adjectum, fœminas non succedere dubitationem habet nullam. Necessum ergo est, ut quæstio ibi fuerit de feudo, quod fœmina primum adquisivit, utrum scilicet in hoc succedant filiæ etiam sine illo investituræ pacto, an verò non nisi pacto hujusmodi adjecto succedant?

Secun-

Secundò Jurisconsultus his verbis: *Si ideo quod est fœmineum sine pacto transit ad fœminas*, evidentissimè ostendit, in principio illius tituli, fœmineum dici feudum, quod fœmina primum adquisivit, non etiam quod adquisivit masculus, & cui in investitura pactum illud de fœmina successione est adjectum. Pactum enim eiusmodi in adductis Jurisconsulti verbis removetur à feudo, quod est fœmineum.

Denique de feudo quoque à fœmina primum adquisito, accipiunt dictum, Tit. 30. Johan. Borcholt. *in commentar. in consuetud. feud. cap. 7. num. 69.* & Hartman. Pistoris *lib. 2. quæst. jur. quæst 34. nu. 26.* Verum Cujac. *ad Tit. 12. lib. 1. feudor. mihi pag. 27.* Verba dicti tit. 30. *hæc: Si fœmina habens feudum*, exponit de feudo à mare adquisito, cui tamen in investitura pactum de successione filiarum est additum: Et distinguit ibi Cujac. inter feudum quod fœmina habet, & feudum muliebre.

Muliebre feudum appellat, de quo mulier primum investita est; Feudum, quod mulier habet, est illi feudum, quod à mare, qui illud primum adquisivit, ad mulierem pervenit, vel pacto vel privilegio, vel gratia Domini, vel more regionis; & hoc feudum negat esse muliebre feudum. Ubi duplex Cujacii error deprehenditur: 41 42

Unus

Unus est, quod negat muliebre feudum esse, quod mortuo Vasallo ex gratia Domini ad mulierem, puta filiam, vel sororem Vasalli pervenit. Feudum enim, quod morte Vasalli finitum est, si Domini gratia tribuatur Vasalli ejusdem proli, novum planè feudum est in ipsa Vasalli primi gradus prole, *Tit. 48. & Tit. 45. lib. 2. feudor. & argumento l. Sed si mandante, 5. ff. de precario, & l. Interstipulantem, §. Sacram, vers. sed si usque ad aream ff. de verb. oblig. & docet Schrad. tractat feudal. par. 2. cap. 3. num. 51.* Si novum ergo feudum est, & mulieri primò datum, certè feudum est muliebre, sive fœmineum feudum.

Alter Cujacii error est, quod negat (& rectè quidem) muliebre feudum esse, quod à mare acquisitum ex pacto investituræ ad fœminas quoq; transit, &, nihilominus dictum *Tit. 30. lib. 2. feudor.* exponit de eiusdem generis feudo, non de feudo muliebri, cum tamen Iurisconsultus feudista expresse feudũ, de quo ibi agitur, aliquoties fœmineum appellet feudum; nisi forte ipse Cujac. distinguere velit, sed ineptè, inter fœmineum feudum, & feudum muliebre.

CAP.

CAP. III.

De feudi Distributione ex effectis.

SUMMARIA III.

1. Feudum ex effectis distribuitur in Nobile & ignobile.
2. Quid sit feudum nobile, quid item ignobile, discrepant Feudistæ.
3. Quidam feudi Nobilis tres faciunt gradus
4. Feudum secundum nonnullorum opinionem aliud est valdè Nobile.
5. Aliud item minus Nobile feudum esse dicunt.
6. Aliud denique aliqualiter Nobile vocant.
7. Nobile feudum secundum Duarenum duo conjunctim requirit.
8. Nobile feudum quod nam appellet Duarenus.
9. Feudum, quod summo Principe inferior concesserit alicui, Nobile non esse, autumat Duarenus.
10. Opinio Vvesenbeccii de hac feudi distributione.
11. Definitio Nobilis, item ignobilis feudi à Vvesenbeccio tradita.
12. Sententia Herm. Vulteii & D. Obrechti de distributione feudi in Nobile & ignobile.
13. Definitionem feudi nobilis veram tradit Author.
14. Plebeius in Iure nostro opponitur omni illi, qui aliquam dignitatem vel honorem obtinet.
15. Non omnis, qui plebeius non est, eà protinus, qua nostri hoc seculo Nobiles, nobilitate corruscat.
16. Non sola Nobilitas, sed & omnis alia dignitas cum privilegio conjuncta est.
17. Illi Vasalli, qui plebeiis opponuntur Vasallis, rectè Nobiles appellantur.
18. Feudum illud, quod possessorem suum Vasallum nobilitat, Nobile dici, verius est.
19. Quomodo secundum Dn Vultei & Dn. Obrechti opinionem Dux, Marchio, Comes quis creetur.

20. Ar-

20. Argumentum, quo provinciam ex hominis dignitate, non è contra, mutuari, autumant, diluit Author.
21. Secundum utriusque Iurisconsulti argumentũ quómodo vires obtineat.
22. Tertium item contrariæ opinionis fundamentum examinatur.
23. Prout Iure Iustin. gradus & ordines dignitatis & nobilitatis sunt, ita de Iure Feudorum gradus & ordines Vasallorum existunt.
24. Primus & Supremus gradus Vasallorum nobilium, qui sit.
25. Reges, Duces, Marchiones, Comites, Capitanei Regni, item Regis appellantur.
26. Horum feuda à Germanis, Fahnlehen / vocantur.
27. Ecclesiasticorum Principum Vasallorum feuda Scepterlehen/ appellari possunt.
28. Secundus gradus sive ordo Vasallorum nobilium quos complectatur Vasallos.
29. Plebis appellatione quid hoc loco significetur.
30. Appellatione plebis significatur populus aliquis nõ tantum pagi & Vici, sed etiam municipii.
31. Quicunque de honore, præeminentia & iurisdictione in Civitatem vel pagum investiti sunt, Nobiles Vasalli dicuntur.
32. Vasallis secundi huius ordinis primi ordinis Vasallorum instar, præcipuus aliquis honoris titulus tributus est.
33. Origo & notatio nominis, Valvasoris, quæ sit, quærunt Interpp.
34. Hotomanni opinio de origine & notatione vocis Valvasoris.
35. Opinio item Pet. Frid. Mindani & Heigii quæ sit.
36. Notationes Interpp. meræ sunt incertæ conjecturæ.
37. Hotomanni derivatio admittenda non est.
38. Petri Frideri notatio quatenus probanda.
39. Suam de notatione nominis huius sententiam veriorem ostendit Author.
40. Valvarum finis & officium.
41. Tertio gradu vel ordine Vasallorum nobilium quinam Vasalli contineantur.

42. Quantum temporis requiratur, ut huius ordinis Vasallus à Valuasore Regis antiquitus investitus dicatur, quæritur?
43. Quartus gradus Vasallorum nobilium quos nam sub se Vasallos comprӕhendat.
44. Huius ordinis Vasalli, Valuasini appellantur.
45. Huius Vasallorum ordinis conditio, cæteris nobilibus Vasallis, olim deterior fuit.
46 Plebeium sive ignobile feudum definitur.

SVccedit feudi distributio ex effectis; quæ hæc est: feudum aliud nobile est, quod & honoratum Petrus Jacobus Aurel. appellat, aliud ignobile, sive plebeium, quod & burgense vocant feudum. Ita feudum dividunt Bald. *in præmio commentarii in feuda, num. 55.* Alvarotus similiter *in præmio feudor. vers Secunda est divisio,* Jason. *in præludiis feudor. num. 119.* Petr. Jacob. Aurel. *in practica libellar. Rubr. 61. num. 54.* Cont. *in commentario in consuetudines feudor. cap. de divisionib. feudor.* Duaren. *in commentario feudor. capit. 4. numer. 8.* Schrader. *Tractat feudali partic 2. capit. 3. num. 10.* Johan. Borcholt. *de feud. cap. 4. num. 13.* Atque hæc divisio depromitur ex *Tit. 10. vers. Cæteri verò ibi, Plebeii nihil ominus sunt, libr. 2. feudor.* 1

Quid autem nobile, quid item ignobile feudum sit dispares sunt feudistarũ sententiæ. Pleriq; feudũ nobile definiunt, quod possessorẽ Vasallũ nobilitat; Ignobile sive plebeiũ; 2

quod

quod non nobilitat possessorem Vasallum; Bald. Alvarotus, Ias. Cont. & Borcholt. *dictis locis & aliis alibi*, Unde autem cognosci debeat, quod feudum accipientem nobilitet, variant Interpretes. Quidam ex tenore investituræ, quidam ex concessione Jurisdictionis, meri, vel mixti imperii, quidam ex loci, vel curiæ Domini consuetudine, quidam ex subditorum numero, quidam ex qualitate, & quantitate præstationum feudi, cognoscendum illud putant, quos collegit Iohan. Borcholt. *dict. cap. 4. num. 13.* Henric. à Rosenthal. *in Synopsi jurisfeudalis cap. 2. divis. 3.* & Vultei. *libr. 1. de feudor. capit. 8. nu. 9.*

3 Nobilis autem feudi gradus faciunt tres Alvarotus, & Jason citatis locis, tum etiam Petr. Jacob. Aurelian. *in practica libellor. dict. Rubric. 61, num. 54. & seqq.* Scribunt enim quod feudum nobile, aliud valdè nobile sit, aliud minus nobile, aliud aliqualiter vel mediocriter nobile.

4 Feudum valdè nobile appellant ab Imperatore datum feudum regni, feudum ducatus, feudum marchionatus, & feudum comitatus.

5 Minus nobile feudum dicunt, quod Rex, Imperatori subjectus, item Dux, Marchio, Comes concessit alicui.

Ali-

Aliqualiter sive mediocriter nobile feudum vocant, quod Regis, Ducis, Marchionis aut Comitis Vasallus alicui tribuit.

Ignobile, plebejum, sive burgense feudum iidem definiunt, quod minores illi valvasores, aut illis inferiores alicui concedunt. 6

Duarenus autem in commentario in consuetudines feudorum *cap. 4. nu. 8.* duo conjunctim requirit, ut feudum sit nobile; unum est, ut dignitatem aliquam habeat; alterum, vt possessorem vasallum Imperator investiet. 7

Unde nobile feudum illud tantùm appellat, quod Imperator concedit investiendo aliquem de regno, marchia, ducatu, comitatu; quippe cum Princeps ille summus, qui tantam dignitatem confert, credatur etiam nobilitare hujusmodi Vasallos, id quod probat etiam argumentum *l. Omnium, 19. in prin. ibi, inter tot nobiles, ubi Ang. Corn. Iason. & alii C. de testament. l. 2. in prin. ibi, Florentissimorum sacri nostri palatii procerum, C. de legib. l. Iudices 12. & ibi Bart. C. de dignitat. lib. 12. l. Honores 7. §. Is qui non sit, ff. de decurionib.* 8

At si Marchio, Dux, Comes, aut Baro concesserit alicui feudum, non esse hoc nobile feudum, ait Duaren: siquidem solius Principis sit nobilitare; id quod patet etiam 9

ex l. Sacrilegii 5. ubi Bart. & alii C. de diversf. rescript. l. ult. §. Viros autem illustres, C. ubi senatores vel Clarißl. l. un C. de his, qui à Principe vacationem acceperunt, lib. 10. l pen. in prin. §. 1. ff. de decurionib. & docet Tiraquel. *tractat. de nobilitate cap. 6.* & Carolus Tapia *ad Rubr. Pandect. de constitutionib. Principum, cap. 4. nu. 112. & seqq.*

Vvesenbecius verò *tractatu suo de feudis cap. 2. nu. 4.* confundit nobile feudum cum feudo regali: & ignobile feudum, cum non
11 regali feudo. Nobile feudum est illi feudum regale; & ignobile, sive plebeium feudum est ei feudum omne non regale. Sed errore ducitur; quippe cum feudum nobile, sive honoratum feudum, ut quod plebeio opponitur feudo, etiam illud sit quod Dux, marchio, Comes alicui concessit: item quod horum Vasallus alii cuidam tribuit, uti arguit textus *in dict. Tit. 10 lib. 2 feud.*

12 Cæterum Hermannus Vultejus *dict. lib. 1. cap. 8. num. 9.* & Dominus Obrechtus *disp. feudal. 2. thesi 17. & aliquot seqq.* divisionem feudi in nobile & ignobile feudum, non ab effectu, sed à causa efficiente petitam existimant: & feudum nobile definiunt, quod ab Imperatore, vel ab alio principe ita datur alicui Vasallo, ut hunc nobilem esse velit. Hanc autem nobilitandi voluntatem deprehendi maximè ex investitura, eiusque tenore,

nore. Quod si non appareat ea voluntas ex ipsa investitura, nihilominus eam præsumi putant ex eo, quod Dominus investiens nobilitandi potestatem habet. Atq; hanc præsumptionem inprimis confirmari circumstantiis quibusdam, puta si feudum non rustico, sed viro patricio, vel doctori, vel alii de Repub. benè meritò fuerit datum.

Cæterum omissis hisce opinionibus omnibus nobile feudum cum æstimandum illud sit ex textu *in dict. Tit 10. lib. 2. feudor.* alia 13
ratione definiendum censeo: & quidem in hæc verba: Nobile feudum est, ex quo Vasallus eam obtinet dignitatem, qua & honoris titulo singulari ornatur, & à plebejorum consortio alienus est. Huius definitionis veritas & perfectio, ut pateat, ad ea, quæ sequuntur advertendum est diligenter. *In dict. Tit. 10.* agitur de Vasallo qui plebeius est, & eo Vasallo, qui plebeius non est, ut evincitur ex eiusdem *Tit. §. Cæteri verò,* 14
Plebeius autem opponitur in jure nostro omni illi, qui dignitatem aliquam sive honorem obtinet, *Tit. 53 in prin. ibi, primatibus, & plebeis, libr. 2. feudor. l Iudices 12. C. de dignitatibus libr. 12. lib. 3. §. Pœna, ibi; dummodo non debeat hæc pœna in plebeis egredi, in his autem qui*

 sunt

ſunt in aliquo honore poſiti &c. ff. ſtellionatus, l. 2. §. In filiis, ibi, non nocet plebeio patre eſſe natum, ſi poſtea honor decurionis patri eorum acceſſit, & ſeq. §. ibi, arbitror eum quaſi plebeii filium in honoribus ſpectari, & §. Præterea, ibi, ſi conceptus ſit à plebeio &c. & l. honores 7. §. 2. ibi, decurionum honoribus plebeii fungi prohibentur, ff. de decurionib. l. Morys 9. §. ſed utrum, & §. ſeq. ff. de pœnis, Et eſt plebejus, qui aliâs etiam privatus appellatur in Jure noſtro, *l. Senator 11. in prin. C. de dignitatib. lib. 12.*

15 Non omnis autem, qui plebejus ſive privatus non eſt, ea corruſcat nobilitate, qua hoc ſeculo noſtri nobiles apertas galeas ſuas, & inſignia nobilia, vel parentum ſuorum, vel propria virtute Imperatoris diplomate parta, dignè oſtentant. Hæc etenim nobilitas à ſolo Imperatore proficiſcitur, ut ſuprà oſtendi, cum tamen dignitas, & honor alius, qui de plebejorum ſive privatorum conſortio aliquem eximit, ab aliis etiam tribuatur, *ut evincitur non modo ex l. unic. §. 1. junct. prin. ff. de lege Iulia ambitus, d. l. Honores 7. § 2. ff. de decurionib: Sed & ex dict. Tit. 10. lib. 2. feudor.* Ubi quidam Vaſalli, quamvis neque de feudo ſuo ab Imperatore aut ab alio Principe ſint inveſtiti, neque à Cæſarea majeſtate ſingulariter nobiles ſint creati, nihilominus tamen plebeis opponuntur. Et

quia

quia opponuntur ibidem plebeis, non absurdè nobiles appellantur, ut omnes alii rectè vocantur nobiles, qui ob dignitatem suam, & honorem in quo locati sunt, à plebejorum sive privatorum consortio sunt exempti: siquidem nobilitas, & nobilis à noscendo dicatur; eò quod præ cæteris ob dignitatem & honorem suum notus sit, ut latè probat Tiraquel *in Tractat. de nobilitate, cap. 2.* 16

Non solum autem cum privilegio conjuncta est nobilitas illa singularis ab Imp. tributa; sed & jure Justinianeo omnis alia dignitas, qua quis à plebejorum sive privatorum consortio exemptus est, *l. 2. §. In filiis, ff. de decurionib. l. Omnes judices 33. & l. ult. C. d. t. l. 3. l. Libertorum, 9. junct. l. seq. C. de dignitatib.*

Quia verò & hi Vasalli, qui opponuntur 17 Vasallis plebeis *in dict. Tit. 10. lib. 2. feudor.* rectè, ut ostendi, nobiles appellantur, atque horum feuda communiter à Doctorib. nobilia dicuntur feuda, quæri potest, utrum hi Vasalli à feudis suis nobiles vocentur; an verò feuda eorum ab illis nobilia nominentur? Dominus Vulteius & Obrechtus, ut suprà memini, divisionem feudi in nobile & ignobile, sive plebeium à causa efficiente repetitam tradunt: & feudum nobile à possessore suo, primo adqurente Vasallo, per Imper.

vel alium Principem creato, nobile æstimant.

18 Verum nobile feudum appellari ab effectu suo, quod scilicet possessorem Vasallum nobilitat, verius est. Qui enim investitus est de Ducatu, vel Marchia, vel Comitatu, jure feudorum ab ipso Ducatu appellatur Dux, à Marchia vocatur Marchio, à Comitatu dicitur Comes, unde patet Vasallorum isthæc dignitatis nomina à feudo ipso derivari, non feudum à possessoribus suis Vasallis ita nominari. Sic alii nobiles Vasalli, de quibus *in dict. Tit. 10. libr. 2. feudor.* sua dignitatis nomina sortiuntur ab ipso feudo, ut arguit ibidem textus *in vers. Qui verò à Principe, ibi, de plebe aliqua, vel parte plebis & in vers. Qui autem à Valvasoribus, ibi, feudum, quod à Capitaneo habebatur, lib. 2 feud.*

Quocirca in feudi nobilis definitione, rectè dixi, EX QUO VASALLUS EAM DIGNITATEM OBTINET &c,

19 Arbitrantur quidem Dominus Vultejus *dict. cap. 8. num. 10.* & Dominus Obrechtus *dict. disputat. feudal. 2. these 46. & seqq.* Ducem Marchionem, Comitem, aliter non fieri, nisi primum ab Imp. Dux, Marchio, Comes creetur; & posthmodum ei Ducatus, Marchionatus, Comitatus in feudum conferatur. Verum repugnat huic sententiæ

textus

textus clarissimus *in dict. Tit. 10. in prin.* Reclamat item ipsa experientia & consuetudo, Illustrissimus namque Princeps noster Würtenbergicus Dux Fridericus, Dominus meus clementissimus, solo successionis jure in Ducatum Würtenbergensem, & Teccensem sine speciali Imperatoris creatione Dux est effectus.

Et sanè si Marchia sive Marchionatus ab ipsa dicitur Marcha, id est limite Imperii, ut disertè scribit Iurisconsultus feudista *in dict. Tit. 10. in prin.* haud verè dici potest, Provinciam ipsam appellari Marchiam, sive Marchionatum ab ipso Marchione, nisi, quis apertè Iurisconsultum feudistam dicto loco mendacii arguere velit.

Nihil juvat Domini Vultej & Obrechti opinionem, quod aiunt, provinciam ex hominis dignitate, non hominem ex provinciæ dignitate mutuari, & dignitatem personæ, non rei cohærere. Est enim ipse Ducatus, Marchionatus, comitatus dignitas aliqua, per textum expressum *in Tit. 13. in fin. ibi, in feudo comitatus, vel marchiæ, vel aliarũ dignitatum, lib. 1. feud.* Ipse autem Ducatus, Marchionatus, Comitatus, ut adjunctum aliquod ipsi provinciæ cohærent, & esse possunt, licet nemo adhuc de iis sit investitus; sunt enim res, quæ in feudum dantur, cuiusmodi res verè existunt, quamvis nondũ alicui in feudum sint datæ. 20

11 Non patrocinatur etiam utriusque illius Jurisconsulti sententiæ, quod affirmat Dominus Obrectus thesi 54. regales dignitates â solo Imperatore, tanquam à fonte profluere, quod falsò diceretur, si Dux, Marchio, Comes ab ipso Ducatu, Marchionatu, comitatu appellaretur. Nam Salva quoque sententia, quem defendimus, verum manet, & hanc dignitatem aliquam ab Imperatore, nõ alio quoquam promanare: quippe cum solus Imperator huiusmodi aliquod conferat feudum, non alius quisquam, *Tit. 14. in prin. lib. feudor.* Et licet successione adipiscatur aliquis ducatum, marchionatum, vel comitatum, non nova investiturâ; attamen primitus etiam primo adquirenti eiusmodi aliquam dignitatem Imperator solus tribuit, ut eam quoque cum futura prole mascula communicaret, *per text. in dict. Tit. 14. §. Si capitanei, vers. Si verò, libr. eod. feudor.*

12 Adhæc contraria illa opinio nihil roboris capit ex hoc Domini Obrechti argumento, *in thesi 55.* quo putat absurdè dici, Ducatum, Marchionatum, Comitatum, esse causam efficientem Ducis, Marchionis, Comitis, siquidem inde sequatur in creando Duce, Marchione, vel Comite majorem esse vim ipsius Ducatus, Marchionatus, & Comitatus, quam ipsiusmet Imperatoris. Quod enim

Duca-

Ducatus, Marchionatus, Comitatus efficit, ut sit Dux, Marchio, vel Comes, qui de ejusmodi aliqua dignitate investitus est, licet singulariter non creetur Dux, Marchio, vel Comes ab ipso Imp. id omne ab autoritate Cæsareæ Majestatis pendet; à qua primitus ita cautum est, ut de eiusmodi aliquo feudo investitus, dignitatem eam consequutus dicatur, licet nominatim Dux, Marchio vel Comes pronunciatus non fuerit.

Quemadmodum autem jure Iustinianeo gradus & ordines dignitatis & nobilitatis sunt, *l. Mulieres, 13. C. de dignitatib. lib. 12. l. ult. C. de incolis, lib. 10. & l. 4. ff. de Senatorib:* Ita & jure feudorum sunt gradus, & ordines Vasallorum ex feudis nobilium, ut disertè testatur textus *in dict. Tit. 50. lib. 2. feudor.* Ubi quatuor proponuntur gradus sive ordines nobilium Vasallorum, quorum singuli singulis ornantur dignitatis titulis. Ut non immeritò in definitione feudi nobilis adjecerim, QUA HONORIS TITULO SINGULARI ORNATUR. 23

Primus autem & supremus gradus, sive ordo Vasallorum nobilium continet Reges, Duces Marchiones, Comites, *dict. Tit. 10. in prin. lib. 2. feudor.* quibus hodie connumerari possunt Barones, *Zas. de feud. part. 5. num. 29. Frideric. Schenck. Baro ad Tit. 10. Quis dicatur Dux, lib. 2. feud. Iacob. de S.* 24

Georg. Tractat. de feud. in verb. Dux, verſ Quid ſi Rex, num. 10. Cravet. conſil. 135. nu. 1 Henning. Gaden. conſil. 2. num. 2 Mynſing. Reſp 16 num. 19. Geil. de pace pub. lib. 1. cap. 6. num. 10 Cart. Iun. Tractat. feudali partic. principali ſecunda, quæſt. 1. Eguinar. Baro li. 1. feudor. cap. 3.

25 Hi omnes autem alio etiam dignitatis titulo inſigniti ſunt, & Capitanei Regni, item Regis Capitanei vocantur, *Tit. 1. §. 1. verſ.*
26 *Dux, Marchio lib. 1. feudor.* quorum feuda germanis dicuntur Fahen lehen/ eò quòd hi Vaſalli cum vexillo ab Imperatore inveſtiuntur, ut notat Schrad. *Tractat. feudal. part.*
27 *2. cap 3. num. 6.* In Eccleſiaſticis Principibus Vaſallis poſſunt etiam eiuſmodi feuda appellari Scepterlehen/ eò quôd hi Principes cum ſceptro de feudis ſuis inveſtiuntur, ut notat Schneid. *Tract. de feud. partic. 1. nu. 30.* & eum ſecutus Dominus Obrechtus *diſputatione feudali ſecunda theſi 45.*

28 Secundus gradus, ſive ordo Vaſallorum nobilium complectitur eos Vaſallos, qui à Principe, id eſt, Imperatore, vel ab aliqua poteſtate de plebe aliqua, vel parte plebis per feudum inveſtiti ſunt, *dict. Tit. 10. verſ. Qui verò à Principe, lib. 2. feudor.* Quo loco per poteſtatem ſignificatur Rex, Dux, Marchio, Comes, ut arguit text. *in Tit. 1. §. Dux, Marchio, verſ. ſunt & alii lib. 1. feud.*

tum

tum etiam quæ in eodem illo *Tit. 10.* præcedunt, & sequuntur.

Sed plebis appellatione quid significetur, 29 tur dicto loco obscurum videtur. Hotoman. plebem eo loco interpretatur vicos, & pagos. Vultejus *lib. 1. de feudis cap. 4. nu. ult. pag. 64. & seq.* plebis voce denotari putat omnem rem ab aliquo prædictorum in feudum datam, quæ neq; Ducatus, neq; Marchionatus, neq; Comitatus sit sed res quędã allodialis. Neutra explicatio per omnia placet.

Arbitror autem plebis appellatione dicto 30 loco contineri populum aliquem, non tantum pagi & vici sed & municipii alicuius, sive civitatis: tum quia *in dict. Tit. 10.* feudum in plebe aliqua, vel parte plebis constitutum, est omninò proximum feudo illi, quod in tota aliqua provincia est datum: tum quia experientia quoque testatur, quod & præter Duces, Marchiones, & Comites, alii etiam, puta nobiles quidam municipia in feudum possident.

Quicunque ergo de honore, præeminentia, & jurisdictione in civitatem, vel pagum aliquem, unum aut plures ab Imperatore Rege, Duce, Marchione, vel Comite investitus est, hunc secundi gradus, sive ordinis inter nobiles Vasallos esse reor. 31

Ut autem primi ordinis Vasalli, titulo quodam honoris insigniti sunt; ita & Vasallis 32

huius

hujus secundi gradus, præcipuus aliquis titulus honoris est tributus, Dicuntur enim Valvasores Regis, item Regni valvasores, *dict. Tit. 1. §. 1. vers. sunt & alii lib. 1. feudor.* & hodie etiam proprie capitanei vocantur, *Tit 7. vers. Idem est, & dict. Tit. 1. §. 1. vers. sunt & alii lib. 1. feudor. & dict. Tit. 10. vers. Qui verò à Principe, & Tit. 53. in prin. lib. 2. feud:* tum etiam proprie dicuntur valvasores maiores, *dict. Tit. 7. vers. Idem est & Tit. 17. lib. 1. feudor. dict. Tit. 10. vers. Qui verò à Principe & dict. Tit. 53. in prin. vers. Capitanei quoque lib. 2. feud.*

33 Quæ autem nominis illius valvasoris origo & notatio sit, quærunt Interpretes. Veteres & plerique recentiores communiter sentiunt, Vasallum secundi huius ordinis appellari valvasorem, ut & ordinum sequentium à valvis, quod scilicet ad valvas dominorum suorum custodiæ, & reverentiæ causa stent: quam notationem sequitur quoque Johannes Borcholt. *in commentar. in consuetut. feud. cap. 5. num. 38.* Herman. Vult. *dict. cap. 4. num. ult. pag. 66.* & Dominus Obrechtus *disputat feudal 3. thesi 103.*

34 Hotoman. verò *lib. disputat. feudal. cap. 3.* Valvasoris nomen diminutivum nomen esse putat, derivatum à primitivo vassus: quam vocem & generaliter & specialiter accipit. Generaliter de omni Vasallo tan

tum, qui ab Imperatore feudum regale accepit.

At novissimè Petr. Friderus Mindanus *lib. 2. de mandatis judicum, cap. 42. num. 3.* primam illam communem notationem ineptam dicit, ipse autem vocem hanc descendere putat à germanico Wal/quod latinis est agger; propugnaculum, munitio, & Våst/ quod latinis est firmus. Et valvasorem vocat eum Vasallum, cui arx, vel fortalitium, Ein Vestung/ Eum subjecto proximo districtu, qui minor est comitatu, in feudum est datum. 35

Verùm enimverò hæ notationes omnes meræ sunt conjecturæ, & quidem incertæ, partim etiam ineptæ. Quod primam attinet notationem rejiciendam eam puto; tum quòd feudorum jura Vasallorum officio nusquam adscribunt, ut stent Vasalli ad valvas dominorum suorum custodes: tum quòd feudorum jure Vasalli, quibus custodiæ causâ datum est feudum, à potiori rectius guardiani dicerentur: eò quod guardia feudorum jure custodiam significat: unde feudum guardiæ, *in Tit. 2. & Tit. 11. libr. 1. feudor:* tum etiam, quod non solum huius ordinis, sed & ordinis tertii Vasalli dicuntur valvasores minores. Quarti ordinis Vasalli nobiles vocantur valvasores minimi, quemadmodum postea dicam, ut verisimile non sit, 36

hos

hos omnes Vasallos valvis Domini custodes esse constitutos; Alioqui enim sequeretur, Vasallos nobiles omnes cuiusq; gradus valvarum Domini custodes esse: quippe cum & primi ordinis Vasalli valvasores appellari videantur, eo ipso, quod huius secundi gradus Vasalli minores, licet impropriè, dicuntur valvasores, *in Tit. 17. lib. 1 feud.*

37 Hotomanni derivationem ideo non admittendam puto, quod Vasalli nusquam in feudorum jure vassi appellantur: quodque nec grammatica ratio pati videtur, ut valvasoris nomen esse diminutivum dicamus, derivatum à voce vassus, cum potius nominari vascinus deberet, qui vasso minor est Vasallus; sicuti valvasinus *in dict. Tit. 10. vers. Qui autem, lib. 2. feud.* qui inter nobiles Vasallos est minimus.

38 Petri Frideri notatio omnium optima videtur, si feudum ipsum spectemus, quod huius ordinis Vasalli possident. Verum geminum illud vu, quod est in germanico illo Wall/ vix hanc notationem patitur.

39 Quocirca, ut meam quoque de notatione huius nominis sententiam paucis explicem, reor quidem cum veteribus valvasoris nomen à valvis deduci, verũ haud quaquã ideo quod Vasalli, quibus hoc impositum est nomen, custodes ad dominorum suorum valvas sint collocati: sed ob quandam inter

val-

vas, & hos Vasallos similitudinem, ex qua etiam notationes quasdam esse logici docent.

Valvarum finis & officium est, ut clausæ & obseratæ omne illud, quod in ipso habetur ædificio, tutum reddant. Sic horum quoque Vasallorum, qui omnes Imperii bona in feudum possident, officium est, & hunc in finem ipsi constituti sunt, ut omne id, quod intra Imperii fines est, tutum efficiant. Ipsæ quoque valvæ geminas habent partes, unde bifores à Poeta appellantur: hac ergo etiam ratione ipsis valvis hi, de quibus agimus, Vasalli, rectè assimilantur, & valvasores dicuntur; quippe cum duplici ex causa Imperio Romano fideles esse, idque pro viribus tutari cogantur: tum scil: quia cives Romani sunt; tum etiam quia Imperii bona in feudum possident. Denique ædificii cuiusque valvæ, ut antiquitus, sic & hodie præ ceteris partibus ipsius ædificii exterioribus singulare aliquod ornamentum, & splendorem obtinere quendam solent, juxta illud Ouidii: Argenti bifores radiabant limine valvæ: sic & nobiles hos Vasallos præ cæteris civibus Romanis Imperii Romani præcipuum aliquod ornamentum esse dubium est nullum. 40

Tertius ordo sive gradus Vasallorum nobilium continet eos Vasallos, quos aliquis val- 41

valvaſorum Regis, ſive Regni de parte ſui feudi antiquitus inveſtivit. Atque hi Vaſalli appellantur minores valvaſores; quandoq; ſimpliciter Valvaſores dicuntur, *dict. Tit. 10. verſ. Qui verò à Capitaneis, lib. 2. feudor. & Tit. 1. §. 1. verſ. Ipſi rarò & §. Notandum eſt, libr. 1. feud.* Ex quibus locis diſcimus, tria conjunctim requiri, ut aliquis huius ordinis Vaſallus ſit nobilis. Primum eſt, ut inveſtitus ſit à valvaſore Regis, ſive Regni; Alterum, ut ipſe inveſtiens Regis valvaſor de parte ſui feudi, quod ut valvaſor Regis poſſidet, inveſtierit hunc Vaſallum; Tertium, ut antiquitus facta ſit iſthæc inveſtitio.

42 Sed quæri hoc loco poteſt, quantum temporis deſideretur, ut huius ordinis Vaſallus dicatur antiquitus à Valvaſore Regis inveſtitus? Iure feudorum definitum illud non eſt; verum Hotoman. *ad dict. Tit. 10 Quis dicatur, Dux in verb. Qui à Capitaneis & in verb. Plebeii nihilominus ſunt, lib. 2. feudor.* Veriſimiliter opinatur, viginti annorum tempus hic omninò requiri; eò quod juſtum militiæ tempus, quod militibus vacationis privilegium tribuit, Viginti annis definitur, *l. 1. C. de excuſationib. veteranib. veteraneorum, & l. 3. C. de his, qui non impletis ſtipendiis ſacramento ſoluti ſunt, lib. 10.*

43 Quartus ordo, ſive gradus Vaſallorum nobilium ſuo coercet amplexu eos Vaſallos,

quos

quos aliquis minorum valvaſorum de parte ſui feudi, quod à valvaſore Regis poſſidet, antiquitus inveſtivit, *dict. Tit. 10. verſ. Qui autem à valvaſoribus libr. 2. feudor.* Dico autem; antiquitus, *arg. dict. Tit. 10. verſ. Qui verò à Capitaneis & verſ. Cæteri verò, & Tit. 27. §. Similes adverſus militem, lib. eod. feudor.*

Appellantur autem huius ordinis Vaſalli, valvaſini *in dict. Tit. 10 verſ. Qui autem à valvaſoribus, lib. 2. feudor.* Dicuntur etiam valvaſores minimi *in Tit. 7. de natura feudi; ibi, vel minimis valvaſoribus Tit. 15. An maritus ſuccedat uxori; & Tit ſeq. lib. 1. feudor.* vocantur item minores valvaſores *in dict. Tit. 10. verſ. Qui autem à valvaſoribus; lib. 2. feud.* reſpectu ſcilicet ſuorum Dominorum; quibus minores ſunt. Hotomannus tamen pro voce minores, loco proximè citato legendum putat minimi. 44

Conditio autem Vaſallorum ordinis hujus deterior olim erat, quam ceterorum nobilium Vaſallorum: quippe cum pro arbitrio Domini ſui diveſtiri potuerint; niſi Mediolani fuerint, aut cum Domino ſuo Romam in exercitu perrexerint, *Tit. 1. §. ult. & Tit. 7. verſ. Si vero facta, & Tit. 16. lib. 1. feudor. & dict. Tit. 10. verſ. Qui autem à valvaſoribus lib 2 feudor* Verum jure novo & horum Vaſallorum feuda propriè jure feudi cen- 45

 ſen-

ſentur, & eadem eſt hodie conditio eorum, quæ majorum & minorum valvaſorum, *dict. Tit. 7. verſ. ult. lib. 1. feudor.* Niſi quis per Modernos eo loco ſolos Mediolanenſes intelligere velit, *per text. in dict. Tit. 1. §. ult. lib. 1. feudor. & in dict. Tit. 10. verſ. Qui autem à valvaſoribus lib. 2. feudor.*

46 Atque hæc de feudo nobili. Plebeium, ſive ignobile feudum eſt, ex quo Vaſallus nullam dignitatem, ſive honoratum titulum aliquem obtinet; ſed inter plebeios, niſi alia ex cauſa nobilis fuerit, relinquitur. Cuiuſmodi feudum eſt omne illud feudum, ex quo Vaſallus neque Regis Capitaneus, neque valvaſor maior, neque minor valvaſor, neque valvaſinus efficitur, *per text. in dict. Titul. 10. verſ. Cæteri verò, lib. 2. feudor.*

Defeu-

Cap. IIII.

De feudi distributione ex subjectis.

Summaria IIII.

1. Feudum consistit vel in re corporali vel incorporali.
2. Res immobilis, quæ in feudum datur, vel soli est, vel solo cohærens.
3. Res soli vel universæ in feudum dantur, vel singulæ
4. An sub Ducatus, Marchionatus, Comitatus &c. in feudum concessione, Regalia quoque tacitè ab dom. concessa videantur, quæstio est anceps
5. Contrariæ affirm opinionis argumentum primum rejicitur.
6. Refutatur item eiusdem argumentum secundum.
7. Res singulæ, quæ in feudum dantur, quænam sint.
8. Mansus quid sit, variant Interpp
9. Sub prædiorum in feudum concessione, quæ alia cōsequenter concessa intelligantur.
10. De thesauro, quem vel tertius quispiam, vel ipsemet Vasallus in prædio feudali casu fortuito invenerit, cui nam cedat, salebrosa quæstio est.
11. Contrariæ sententiæ argumentum primum.
12. Contrariæ sententiæ argumentum secundum.
13. Eiusdem argumentum tertium.
14. Eiusdem argumentum quartum, cum singulorum annexis solutionibus.
15. Res solo cohærentes, quæ in feudum dari possunt, variæ sunt.
16. Castrum dicitur quasi Casa alta, vel stricta.
17. Quæritur, si Princeps Castrum alicui simpliciter in feudum dederit, an iure feudi, vel potius donationis, aut custodiæ causâ id concessisse videatur?

18. Communem Dd. assertionem falso fundamento tutari conatur Brunus & Menoch.
19. Adversariorum argumentum refutatur.
20. Verbum, Concedo, quam significandi vim habeat.
21. Quam item in ultimis voluntatibus
22. Difficilis, sed elegans est quæstio, An Castro simpliciter in feudum concesso, Castri quoque territorium simul concessum censeatur?
23. Quæstio hæc de alio Castro accipienda non est, quam quod territorium aliquod habet.
24. Ex argumentis contrariæ opinionis ab Oldrado adductis, diluitur primum.
25. Secundum Oldradi argumentum.
26. Tertium Oldradi argumentum.
27. Quartum Argumentum.
28. Quintum argumentum.
29. Sextum argumentum.
30. Postremum eiusdem fundamentum.
31. An Princeps concedendo Castrum alicui in feudum censeatur iurisdictionem in ipsos Castellanos unà concedere, quæstio est anceps.
32. Iurisdictionem ipsi loco tanquàm subiecto suo inhærere, perperam docent Interpp.
33. Bald. & alii eum secuti eodem errore ducuntur.
34. Quædam iuris fundamenta alieno planè sensu ad hanc sententiam suam probandam allegant.
35. Distinctio Bart. suorumque assectarum quia in foro recepta & inveterata, ideo in praxi plane servanda est.
36. Quid statuendum in dubio, ubi ambigitur, utrum personæ, an loco iurisdictio cohæreat?
37. Iurisdictionem personæ cohærere, contrà plerosque Dd. in dubio præsumendum est, indè quæstio pulchra enascitur.
38. Quædam contrariæ opinionis fundamenta examinantur & diluuntur.
39. Principis beneficium plenissimè interpretandum, quatenus regula hæc extendenda sit.
40. Feudum aliud in Curte Domini, aliud extra Curtem Domini esse dicitur.
41. Curtis & Curia in Iure feudorum idem significant.

42. Quid sit feudum in Curte, & quid extrà Curtem, dispar feudistarum sententia est
43. Curtis appellatione nihil aliud significatur, quàm territorium Domini, in quo Vasallus feudum possidet.
44. Per vocem *Districtus*, coercendi jus & potestas, ac ita merum Imperium denotatur.
45. Territorium est subjectum occupans sive objectum meri Imperii & Iurisdictionis.
46 Verba, Curtis & Curia idem significare arguit disertus Iuris textus.
47. Feudum in curte Domini est, quod Vasallus in Domini territorio possidet.
48. Prima & tertia opinio Interpp. de feudo in Curte Domini cur nam ferenda non sit.
49 Secunda Interpp. opinio an sustineri possit?
50. Erronea item Sonsbeckii opinio est.
51. Ipsum territorium Domini cur appellatione Curtis & Curiæ contineatur
52. Pares Curtis sive Curiæ qui nam dicantur.
53. Pares, item Compares cur vocentur Vasalli.
54. Num curtis & Curiæ appellatione, non tantum cuiusque Civitatis & præfecturæ territorium, sed sed etiam universitas & ambitus cuiusque provinciæ significetur, in quæstionem vocatur.
55. Curtis, item Curiæ appellatione, integrum quoque Ducatum, Comitatum, Baroniam quoque significari, volunt DD.
56. Num plures eiusdem Domini Vasalli Pares Curiæ sive Curtis sint, nec nè plurimum scire refert.

SUccedit feudi distributio ex subjectis, quæ primò talis est; Feudum consistit vel in re corporali, vel incorporali re, *per text. in Tit. 1. §. Sciendum lib. 2. feudor.* Illud corporale, hoc incorporale feudum appellat Alvarot. *in proœmio feudor. division. 22.* Bald. *ad Tit. 33. de consuetud. recti feudi, libr. 2. feudor.* & post alios Vult. *libr. 1. feud. cap. 8. num. 11.* 1

Res corporalis, in qua feudum consistit, vel immobilis est, vel mobilis. Nam in re mobili feudum rectè constitui, contra alios probavi suprà cap. 1.

2 Res immobilis, quæ in feudum dari potest, vel soli est, vel solo cohærens, *arg. Tit. 1. §. Sciendum, libr. 2. feudor. junct. l. Quia accervus 10 ff. Quod vi aut Clam. & l. 1. §. Et generaliter 4. ff. de vi & vi armat.*

3 Res soli vel universæ in feudum dantur, vel singulæ. Universæ, ut Ducatus, Marchionatus, Comitatus, *Tit. 14. lib 1. feudor & Tit. 10. in prin. & Tit 55 §. Præterea Ducatus, lib. 2. feudor.* Item Baronia, arg. *c. Fundamenta, in fin ibi, seu nomine Comitatus, Baroniæ, seu cuiuscunque alterius, Tit. de elect. & electi potest. in 6. Frider Schenck Baro ad d. Tit. 10. Quis dicatur Dux, libr. 2. feudor;* tum etiam territorium alicuius plebis, *dict. Tit. 10 vers Qui verò à Principe, ibi, de plebe aliqua, vel plebis parte, libr. eodem feud. junct. l. Pupillus 239. §. Territorium, ff. de verb. sig.*

4 Sed in quæstionem hoc loco vocari potest, an ipsa in feudum concessione Ducatus, Marchionatus, Comitatus, Baroniæ, regalia quoq; tacitè concessa ab Imp. videantur? Et quamvis pleriq; Dd. quos referunt & sequũtur Ant. Peregria *lib. 1. de jure fisci c. 2. nu. 76.* & Joan. Schen. *lib. 1. disput. feudal. disput. 4.*

thesi

thesi 13. id affirmare de regalibus minoribus nihil dubitent: verior tamen est generaliter sententia negata; tum quia regalia ipsi Ducatui, Marchionatui, Comitatui, Baroniæ, aut territorio non cohærent, sed quoddam personæ Imperatoris adjunctum sunt; cui in signũ supremæ eminentiæ sunt reservata, *per text. in constit. de pace constantiæ, §. Volumus ut regalia ibi, Ea quæ specialiter ad nostram excellentiam spectant & Recessum Imperii Ratisbonensi, de anno 1576. §.* Weitters seind wir/ *& §* Sonder will auch/ & scribit post Alvarotum Sonsbeckius *in comment. in usus feud. part. 8 nu. 18.* tum quia sine speciali concessione non censentur translata, quæ in signũ privilegii singularis majestati Cęsareæ reservata dicuntur, *c. Quod translat. 4. ext. de offic. legat* tum postremò, quia in generali concessione nõ veniunt ea, quæ quis nõ esset verisimiliter in specie cõcessurus, *c. In general. Tit. de reg. jur. in 6. & Tit. 26. §. In general. li. 2 feu.*

5 Non obstat, quod feudum Ducatus, Marchionatus, Comitatus regale est feudum. Est enim regale feudum non ratione subjectæ rei, sive materiæ, quæ in feudum datur, sed respectu tantum causæ efficientis, quia scilicet à solo Imperatore, qui in jure nostro Rex appellatur, tribui potest, *Tit 14. in prin. lib. 1. feud. & Tit. 10. in prin. lib. 2 feud.* Ut proinde regale feudũ hac consideratione

rectè appelletur, *per text in Tit. 34. in prin, lib eodem feudor.* At eam ob causam tale aliquod feudum regalibus connumerari non debet. Concessio huiusmodi feudi regalis est; at res ipsa in feudum data non est regalis.

6 Nihil quoque refragatur, quod Doctores communiter tradunt, eandem esse potestatem Ducis, Marchionis, Comitis in suo Ducatu, Marchionatu, Comitatu, quæ Imperatoris est in universo orbe Romano. Isthæc enim sententia vel intelligenda est de administrandi, & gubernandi potestate, non etiam porrigenda ad ea jura, quæ soli Imperatori in singulare quoddam præeminentiæ signum reservata sunt; vel manifestissimè falsa est ea sententia; quippe cum inde sequeretur, quod nusquam amplius Cæsarea majestas vindicare sibi regalia jura possit; quodque ipsi Duces, Marchiones, Comites, suis in Ducatibus, Marchionatibus, Comitatibus regalia jura absque speciali concessione Imperatoris, & septemvirorum Imperii exercere queant: cum tamen contrarium in genere quidem de regalibus omnibus, in specie verò, & nominatim de vectigalibus cantum sit in Recessu Imperii Ratisbonensi, suprà allegato. Quinetiam Doctorum prædictam sententiam erroris plenissimam esse scribit Jacobin. de S. Georgio *in Tractat de feudis in verb.*

verb. Et cum piscationibus, num. 2. & refert Johan Borcholt. *in commentar in consuetud. feud. cap. 5. num. 37. in fin.*

Res singulæ, quæ in feudum dantur, sunt Mansus, *Tit 4 § Si quis de manso, lib. 1. feud.* item arvum, aliaque prædia, Nam & hæ res in usumfructum dari possunt, *l. Item si fundi 9 & l seqq. ff. de usufruct.* proindeque & in feudum, quod usuifructui simile est, *Tit. 23. in fin. lib. 2. feudor.* 7

Mansus quid sit variant Interpretes, Bald. *ad dict. §. Si quis, num. 2.* interpretatur mansum prædium, in quo manent homines. Alvarotus ibidem mansum definit fundum, qui duobus bobus ad laborandum sufficit. Alvarotum sequitur Zas. *in Tractat. de feudis, part. 6. in fin.* ubi subjicit; Hinc fortasse oritur, quod nos Germani prata dimensa nominamus Mansmat. 8

Huiusmodi autem prædiis in feudum datis intelliguntur etiam concessæ ipsæ fodinæ, sive secturæ auri, argenti, ferri, plumbi, aliorumque metallorum: tum etiam lapidis, calcis, arenæ, picis, sulphuris, cretæ, salinæ inventæ in prædiis feudalibus; quippe cum hæ res omnes prædiorum fructus sint, *dict. l. Item si 9. §. 2. & 3. l. Si cuius 13. §. Inde est quæsitum, 5. ff. de usufructu l. Fructus eos 7. §. Si vir 13. & §. Sed si cretifidine 14. & l. seq. ff. sclut. matr. l. 3. in fin. & l. 4. ff. de reb. eor. qui* 9

ſub tutela vel cura ſunt. Fructus autem prædiorum feudalium ad Vaſallum pertineant, *dict. Tit. 23. §. ult. verſ. uſusfructus verò. lib. 2. feudor.*

Hęc autem ſine dubio procedunt niſi Dominus in feudi conſtitutione ſibi nominatim fodinas illas & metalla reſervaverit, *per text. in l. Si fundus 8. in prin. verſ. Niſi, ff. ſolut. matrim.*

10 Sed quæſtio ſalebroſa moveri hoc loco poteſt, ſi non ipſe Vaſallus, ſed tertius quiſpiam in prædio feudali theſaurum caſu fortuito invenerit, ſitné pro ſemiſſe theſaurus ille Vaſalli, aut Domini feudi: vel ſi ipſemet Vaſallus in feudali prædio theſaurum invenerit, eius dimidia Domino feudi, aut totus inventori Vaſallo cedat? Plerique Dd. huius theſauri ſemiſſem caſu priori, non Domino feudi, ſed ipſi Vaſallo tribuunt; & caſu poſteriori totum theſaurum ſoli Vaſallo adjudicant. Atqui ſententiam contrariam veritati conſonam eſſe planè putandum erit; tum quia theſaurus fortè fortuna in fundo alieno, id eſt, cuius proprietas alterius eſt, pro parte dimidia Domini eſt ipſius fundi, *§. Theſauros, verſ. At ſi quis, Inſtit. de rer. diviſ. l. Si is qui 63. § Quod ſi ſervus 3. ff. de adquir. rer. dom. & l. un. C. de theſauris libr. 10.* Domini, inquam, id eſt proprietarii: Hic enim propriè Dominus in jure noſtro appellatur,

non

non etiam qui saltem jus utendi fruendi habet, *per text. in l. 1. §. ult. ibi, quamvis non efficiuntur Domini, ff. Si ager. vectigal.* fundi autem feudalis Dominus est non Vasallus, sed feudi Dominus, *dict. Tit. 2. 3. §. ult. ibi, ut proprietas quidem penes dantem remaneat, lib. 2. feudor.* tum quia fructus prædii feudalis ad Vasallum pertinent, nō etiam ea, quæ in fructum non computantur *dict. Tit. 23. §. ult. vers. usufructus verò, li. eod. feud.* Thesaurus autem in prædio inventus ipsius prædii fructus non est, *l. Fructus eos 7. §. Si fundum 12. vers. ult. ff. solut. matr:* tum etiam, quia Vasallus usufructuario similis est, *dict. Tit. 23. §. ult. vers. usufructus verò, lib. 2. feud.* usufructuarius autē si in prædio fructuario thesaurum invenerit, dimidium eius Domino feudi restituere tenetur, semissem alterum retinet, non quidem jure fundi, sed tantum inventionis jure, *d. l. Fructus eos 7. §. Si fundum, 12 vers. ult. ff. solut. matr.* tum postremò, quia thesaurus fortunæ donum est, *d. l. Si is 63. §. 1. ff. de adquir. rer. dom.* & Dei beneficium appellatur, *in d. l. un. C. de thesauris lib. 10.* Verisimile autē est, quod fortuna, atq; Deus ipse donum, & beneficium hoc in eum potius conferre voluerit, qui in feudo jus potius habet. Potius autem jus ipse Dominus habet, ut ad quem prædii proprietas pertinet.

Nihil

11 Nihil impedit hanc conclusionem, quod Vasallus prædium feudale ab eius possessore vindicare potest, *per text in Tit. 8. §. Rei autem, lib. 2. feudor.* & vindicatio non nisi Domino competit, *l. In rem 23. in prin. ff. de rei vindicat.* Non enim directò, ut verus Dominus vindicat Vasallus, sed quasi vindicat, ut ait Jurisconsultus feudista, *in dict. §. Rei autem.* Unde sequitur, quod propriè Dominus feudalis prædii non sit.

12 Nec etiam obloquitur, quod Vasallus in vindicando feudali prædio proprietatis Domino præfertur *arg. d. l. 1. in fin. ibi, Sed & adversus ipsos municipes, ff. Si ager vectigal.* Non enim ideo præfertur Domino suo Vasallus, quasi potius jus in feudali prædio habeat, sed evitandi circuitus causa: quippe cum Vasallus contra Dominum vindicantem vicissim consistere, & ab eo prædium vindicare posset, *arg. d. l. 1. in fin. ff. Si ager vectigal.*

13 Non refragatur etiam, quod possessoris, qualis est Vasallus, qui prædium feudale possidet, *Tit. 2. §. 1. Tit. 3. Tit. 4. Tit. 10. & 12. lib. 1. feudor.* melior esse debet conditio, quam eius, qui non possidet, *l. In pari 128. ff. de reg. jur. & §. Retinendæ, vers. Et quia longè commodius, Instit. de interdict.* Isthæc enim possessionis commoditas potissimum in perceptione fructuum consistit, *l. Qui sal. 25. §.*

25. §. 1. & l. Fructus 45. ff. de usuris & l. bonæ fidei 48. in prin. ff. de adquir. rer. dom. Thesaurus autem, ut supra ostendi, in fructu non est. Consistit item illa commoditas in eo, quòd possessor à probandi onere liberatur, *l. Is qui, 25 ff. de rei uindicat.* Quodque cum petitor non probat Dominium, possessor ad obtinendam victoriam potior habetur; *per text in d. l. In pari ff. de reg. jur.*

Neque officit etiam prædictæ conclusioni nostræ, quod incrementum prædii feudalis ad Vasallum pertinere dicitur, *in Tit. 4. §. Si quis de manso lib. 1. feud.* tum quia thesaurus incrementum feudi non est, ut qui non crescit in ipso feudo, nec ei accrescit; tum etiam quia incrementum feudalis prędii ad Vasallum quidem pertinet, sed jure tantum feudi, ut scilicet eo quoque uti frui possit. 14

Res solo cohærentes, quæ & ipsæ in feudum dari possunt, *Tit. 1. §. ult ibi, solo cohærentes, lib. 1. feudor.* variæ sunt, & primum quidem in horum numero est Castrum, *Tit. 4. § Item si Vasallus possiderit castrum, & §. Similiter si quis possiderit castrum, libr. 1. feudor.* 15

Castrum dicitur quasi casa alta, vel casa stricta: eò quod habitatio castri non debet esse diffusa, ne nulla egeat custodia, ut post alios docet Andr. Geil. *lib. 2. obseru. practic. obser. 62. in prin.* 16

Sed

finitio procedit; quando clavium traditionem præcessit titulus ad dominium transferendum habilis, puta venditio. Atque hoc casu videri castri dominium concedi scribit Bart. *ad l. 1. nu. 4. ff. pro dot. & ad l sub. conditione 16. in fin. ff. solut.* tum etiam Albert. Brun. & Menoch. *dictis locis.* Atq; ipse Menochius ibidem alium etiam subjicit casum, quo castri dominium præsumitur translatum, puta si Princeps concedens utatur verbo, quod sua vi dominii translationem significet; quale verbum est, DO, item DONO.

De verbo CONCEDO idem generaliter non affirmarem, quamvis Menochius eandem vim ei tribuat, *ut dict. præsumpt. 96. num. 5. Sic & sub eodem lib. 3. præsumpt. 30. nu. 41.* 20

In ultimis quidem voluntatibus eandem quoque vim & hoc habere verbum plane judico, *per text. in l. uxori 33. §. ult. & l. uxorem 41. §. 1. ff. de legat. 3.* quippe cum legata, & fideicommissa nihil aliud, quam donationes quædam sint, *§. 1. Instit. de legat. & l. Legatum 36. ff. de legat. 2.* Verum in actibus inter vivos hanc vim generaliter huic verbo assignare non possumus: siquidem & qui precario rem dat, concedere eam dicatur, *l. 1. ff. de precario* & fructuarius rem fructuariam, quam propriam non habet, concedere alii fruendam dicatur, *l. Arboribus, 12. §. usufructuarius 2. ff. de usufructu,* 21

Nisi

Nisi ergo causa ad dominium transferendũ apta subsit, verbum concedere, non dare vel donare significat, sed committere tantum, ut & Bald. docet *ad l. Non ambigitur, 9. num. 3. vers. In contrarium, ff. de legib.* Idem quoque sentire videtur Menoch. *lib. 2. de arbitr. jud. casu 88. num 31. & seq.*

22 Est & illa difficilis quidem, sed elegans quæstio; An castro simpliciter in feudum concesso, intelligatur etiam castri illius territorium simul concessum? Negat Oldrad. *consil. 121* ut & Felin: *ad c. Rudolphus in verb: territorium, extra de rescript.* Affirmat Alexand. *ad l 3. nu. 26. ff. de adquir. vel amitt. poss* in casu scilicet, quo in ipsa feudi concessione mentio facta est expressa ipsius Castri, non autem proprio nomine illud sit appellatum.

Jacobin de S. Georg. *in Tract. de feudis in verb. Dicti Vasalli promiserunt, numer. 2.* & negantis & affirmantis sententiæ rationes ex Oldrado adducit varias; sed nihil concludit.

Bald. autem ad *Tit. 51. de Capitaneo, qui curiam vendidit, in prin. num. 11. lib. 2. feudor.* idem sentit in casu, quo territorium certum ipsi Castro aliquando assignatum est.

23 Verum enimverò quæstio hæc de alio castro intelligenda non est, quàm quod terri-

tori-

torium hoc unà conceſſum eſſe planè ſentio: tum quia territorium eſt adiunctum caſtri, ipſi Caſtro annexum, & cum eo conjunctũ, *l. Pupillus 239. §. Territorium ff. de verb. ſignif.* Conceſſa autem re aliqua intelliguntur conceſſa etiam omnia adiacentia, *t. 2. C. de bonis vacantibus, lib. 10:* tum quia, cui urbs committitur, eidem etiam territorium committi videtur, per text. *in l. 1 §. Initio eiuſdem 4. ff. de offic. præfecti Vrbi:* tum etiam quia caſtrum eſt caput territorii, ut evincitur *ex d. l. Pupillus, §. Territorium, ff. de verb. ſig.* & docet Socin. *conſil. 74. num. 3. libr. 1.* Ipſum autem caput ſequuntur reliqua membra, *l. Cum in diverſis 44. ff. de relig. & ſumpt. fun.* tum poſtremò, quia territorium caſtri ad eum pertinet, ad quem ipſum Caſtrum ſpectat, *per text. in l. Nulli 28. §. Quodſi in vico, 4. C. de Epiſcop. & cler. & can. Si quis Epiſcoporum 16. quæſt. 2.*

Hanc, quam defendimus, ſententiam amplectitur quoque Schrader. *Tractat. feudal. part. 3. cap. 4 num. 22. & ſeqq.* Quam neutiquam minuunt rationes ab Oldrado adductę. Primò, ait, diverſis nominibus diſtingui caſtrum & territorium; ipſa ergo ſubſtantia quoq; unum ab alio ſeparatum eſſe, *per text. in l. Si idem codicilli 7. C. de Codicillis:* Ab uno autem ſeperatorum ad aliud non rectè inferri; cum ſeperatorum ſeperata ſit ratio, *l. ult.* 24

N *ff. de*

ff. de calum. Verum hoc argumentum in proposito nihil stringit. Etsi enim seperata sint Castrum, & territorium, si per se spectentur; attamen quia unum alii cohæret, territorium scilicet ipsi castro, proindeque illud huius sit adjunctum aliquod, certè concesso ipso subjecto, castro scilicet, ipsum quoque adiunctum puta territorium intelligitur tacitè concessum, *per text. in d. l. 2. C. de bonis vacantib. lib. 10.*

25 Eadem quoque responsione dilui potest alterum Oldradi argumentum, quod tale est: Castrum est, quod murotenus cingitur: territorium verò, quod est extra ipsum castrum: sub recognitione ergo unius, alterum non comprehenditur, *arg. l. 2. & l. ut Alphenus 78. ff. de verb. sig.*

26 Tertium Oldradi argumentũ est eiusmodi; ut dioecesis se habet ad civitatem, sic se habet territorium castri ad ipsum castrũ. Sub appellatione autẽ civitatis non continetur dioecesis; Ergo nec sub castri appellatione territorium eius. Sed respondendum primò, quòd isthæc comparatio planè sit falsa: quippe cum dioecesis, quæ est provincia aliqua, & civitas sese mutuo arguant, ut totum, & pars *l. 1. C. de privatis carcer b.* At castrum & eius territorium arguunt se ut subjectum & adjunctũ *d. l. Pupillus 239. §. Territorium ff. de verb. sig.*

Totum

Totum autem parti non inest: adjunctum verò suo subjectò aliquatenus inest. Deinde licèt sub castri appellatione non contineatur eius territorium, res ipsas tamen cum spectamus, concessiò castri complectitur quoq; eius territorium, ut castri adjunctum.

Quartò ita agit Oldradus; In actibus, qui denotant juris translationem de uno in alterum, accessorium, quod nòn omnino cohæret principali, in eandem translationem non venit, *l. Quoties 29. ff. de contrahenda empt. & vendit. & l. Si legatus 24. ff. de peculio legat l. 2. §. 1. de instruct. vel instrum. legat. & l. ult. ff. de suppellect. legat.* Sed territorium Castri est eius accessorium, non omninò illi cohærens, sed divisibile, & quasi medio pariete distinctum: cum unum ab altero & loco & qualitate distinguatur: Ergo translato Castro, non censetur translatum eius territorium. Hoc argumentum removeri ita potest; Etsi territorium, si loci species rationem, non sit affixum ipsi castro, nec illud ubique contingat, quia tamen ad ipsum castrum aliquando destinatum est, illius quoque adjunctum aliquod est. Si adjunctum, certè ipsi subjecto cedit, & cum eo unà transit, licet de eo expressè dictum sit nihil, *per text. in l. Si aquæductus, & duabus legibus seqq. ff. de contrahendo emption. & venditione.* Sic insula in flumine nata, 27

quamvis non sit unita cum proximo prædio, nec contingat illud, attamen eius efficitur, cuius est vicinum prædium; *l. Adeo, 7. §. Insula vers. In flumine, ff. de adquir. rer. domin. & §. Insula, vers. At insula Instit. de rer. divis.* Sic quoque uxori legatis à marito vestibus, quas in domo habet, censentur quoq; legatæ vestes de novo factæ, licet extra domum habeantur, propterea scilicet; quòd ad usum uxoris sunt destinatæ, *Bald. ad l. Ex facto proponebatur 35. in fin. ff. de heredib. instit. & Felin. ad C. Cum adeo, num. 2. extra de rescript.*

28 Quintum Oldradi argumentum ita se habet: De diversis, ut eorum quodlibet per se, jura diversa, ut tradantur, necesse est, *l. un. C. Si curialis relicta civit. jus habitare muluerit, libr. 10. & can. Clericus ab instanti 21. quæst. 1.* Castrum autem & territorium sunt diversa: Ergo ut diverso jure censeantur, nec unum ab altero contineatur necessum est.

Verum hic nodus ita solvi potest. Per se cum considerantur castrum & territorium, alia est conditio & jus ipsius castri, alia item territorii. Quando autem agitur de translatione castri tanquam principalis, cum eius accessio sit territorium, tacite quoque agi intelligitur de ipso territorio transferendo; quippe cum accessoriũ sequatur suum principa-

cipale, per vulgata jura. Quod autem territorium ſit caſtri acceſſio, & adjunctum aliquod caſtro cohærens, ex eo quoque intelligitur, quod territorii nomen relativum eſt, & mutuum reſpectum ad civitatem, vel caſtrum, cuius territorium eſt, habet, *d. l. Pupillus, §. Territorium, ff. de verb. ſignif.*

29 Sextò adducit Oldradus textum *in Can. Ego Ludovicus, diſtinct. 63.* Ubi in conceſſione civitatum & territoriorum, hæc ab illis ſeperantur, & ſpecialiter ac nominatim tribuuntur. Atqui inde haud neceſſariò ſequitur, civitate ſimpliciter conceſſa, non videri tacitè conceſſum & eius territorium, licet de eo nominatim actum ſit nihil; quippe cũ in diſponentis ſit arbitrio, velitnè ſpecialiter etiam exprimere ea, quæ tacite ipſa diſpoſitione continentur, dubitationis ſcilicet evitandæ cauſa, *l. Teſtamentum, 17. C. de teſtamentis, Tiber. Decian. Reſpon. 1. nu. 40. & ſeq vol. 3.*

30 Poſtremò nititur quoque Oldradus textu *d. l. 2. C. de bonis Vacantib. lib. 10.* Ubi adjacentia rei donatæ non cedunt in donationem, vel conceſſionem, niſi dictum ſit, integro ſtatu. Sed reſponderi poteſt, quod in caſu eius legis res principalis ſit domus, cuius mancipia, pecora, & fructus, qui in ea domo ſunt, adjuncta connexa dici non poſſunt; proindeq; ſimpliciter conceſſa domo,

eas res non censeri simul concessas Labeo quidem, referente ulp. generaliter scribit, ea quæ perpetui usus causa in ædificiis sunt, ædificii esse, *l. Fundi 17 §. Later. 7. ff. de act. empt* Verum sententia hæc procedit, si posita fuerint, ut ibi sint perpetuò: vel ut Javolenus ex eodem Labeone sentit, si ita sint illigata ædibus, ut ibi perpetuò posita sint *l. Dolia 26. in prin. ff. de instruct. vel instrum. legat.*

11 Est & illa hoc loco non omittenda quæstio frequens & pulchra; An Princeps, qui castrum alicui in feudum concedit, censeatur etiam ipsi Vasallo novo jurisdictionem in ipsos castellanos una concedere? Hanc ut expediant quæstionem Bart. & eum secuti alii juris interpretes, distinguere hunc in modum solent; Iurisdictio aut ipsi castro cohæret, aut non cohæret ipsi castro, sed personæ concedentis; Priori casu concesso castro, intelligitur quoque ipsa jurisdictio concessa; casu posteriori non censetur unà & ipsa jurisdictio translata, Bart. *ad l. Inter eos 29 ff. de adquir. rer. dom.* Bartolum qui sequuntur memorat Carol. Tapia *in commentar. ad l. ult. ff. de constit. Princip. partic. 1. ca. 2. num. 31.* & Menoch. *de præsumpt. libr. 3. præsumpt. 97. num. 46.* Eandem distinctionem amplectitur quoque Molinæ. *in consuetud. Paris. Tit. 1. §. 1. gl. 5. in verb. Le fief. nu. 67. & seq. mihi pag. 60.* Verum

Verum hanc jurisdictionis in isthæc subjecta distributionem, quamvis eam quoque Wesenbec. probet *in Paratit. ff. Tit. de jurisd. ct. nu. 10.* & eum secutus Dominus Vult. *lib. 1. de feud cap. 5 num. 5.* juris autoritati parum consonam esse reor; tum quia jurisdictio potestas quædam est personæ tributa *l. ult. ff. de offic. præfect. urbi, l. Eum qui 13. §. 1. ff. de jurisdict. l. Potestatis in prin. ff. de verb signif. l. pen. in prin. ff. Ne vis fiat ei, qui possess. missus erit, & l. 1. §. Necessario, ibi, non prætoria potestate, ff si ventris nomine muliere in possessionem missa*, proindeque solius personæ, non prædii sive castri adjunctum est: tum etiam quia jurisdictio non à re accedit personæ, sed immediatè à persona, magistratu scilicet superiore obvenit personæ. Nanciscitur enim quis jurisdictionem, vel ordinario jure, puta, eo ipso, quod magistratus à superiore quodam constituitur, vel extraordinem, non nisi jure speciali, puta lege sive constitutione, aut consuetudine quadam, *l. 1. in prin. ff. de offic. eius, cui mandata est jurisdict. l. Si aliam 7. ff. de offic. pro consul. l. 2. §. Et hæc omnia 33. ff. de orig. jur. l. Et quia 6. ibi, Nec ipsa lex ff. de jurisdictione l. Eum prætor 12. §. 1. ff. de judiciario lege ult. Codic. de emancip. liberor.*

32 Nec uſquàm in toto jure noſtro certus extat textus, ex quo evincatur, ipſi quoque loco juriſdictionem cohærere, tanquam ſubjecto ſuo. Perperam enim id docere conantur Interpretes *ex l. 1. §. Initio 4. verſ. Cum urbem, ff. de offic. præfecti urbi:* quippe cum ibi juriſdictionis definiatur ſubjectum, non cui juriſdictio cohæret, ſed circa quod verſatur juriſdictio, id eſt, non materia, ut loquuntur, in qua eſt, ſed circa quam verſatur juriſdictio, puta limites, intra quos juriſdictionem ſuam Præfectus Urbi exercet.

33 Malè etiam Bald. & alii eum ſecuti in eandem rapiunt ſententiam text. in l. ult. verſ. Sed ne quis, ibi, qui vel adminiſtrationi, cui & juriſdictio adhæret. C. ubi & apud quem cognitio in integr. reſtitut. agitanda ſit: Siquidem eo loco Juſtinianus Imp. apertiſſimè agat de magiſtratu, cuius non territorio, ſed adminiſtrationi juriſdictio cohæret.

34 Ineptè quoque advocant in patrocinium prædictæ opinionis *text. in d. l. Pupillus 239. §. Territorium, ff de verb. ſig. ff de verb. ſig.* Ibi enim ſimiliter, *ut in d. l. 1. §. 4. ff. de officio præfecti Urbi.* definitur jurisdictionis ſubjectum, ſive materia circa quam verſatur ipſa juriſdictio, nempe terminus juriſdictionis, intra quem magiſtratus exercere ſuam juriſdictionem poteſt.

Cæte-

Cæterum quia in foro distinctio isthæc Bartoli, & asseclarum jamdudum recepta & inveterata est, certè in praxi eam planè servandam judico, licet Celsus Jurisconsultus id dissuadere videatur *in l. Quod non 39. ff. de legib.* Ubi, quod non, ait, ratione introductum, sed errore primum, deinde consuetudine obtentum est, in aliis similibus non obtinet. 35

Sed quid in dubio statuendum, ubi ambigitur, utrum personæ, an loco jurisdictio cohæreat, ut sciamus, an unâ cum castro trãslata sit jurisdictio, necne? Ipsi loco intelligi cohærere in dubio jurisdictionem, & una cum loco eam translatam esse, Bartolum sequuti, communiter Doctores tradunt, Bart. *ad d. l. Inter quos 29. ff. de adquir. rer. dom.* Bald. *ad Tit. 51. de capitaneo, qui curiam vendidit, libr. 2. feudor.* Præposit. *ad Tit. 5. §. Item si quis lib. 1. feud.* Wesenbec. *in paratit. ff. de jurisdict. num. 10.* & alii quos refert & sequitur Vult. *lib. 1. de feud. cap. 5. nu. 5. vers. Huc etiam pag. 85.* qui idem etiam sentit ad *l. 1. numer. 12. C. de jurisdict. omnium judic.* 36

Sed & hanc erroneam esse opinionem vel ex eo cognoscitur, quod veritate juris nostræ inspecta, jurisdictio nulla cohæret loco, sed personæ tantum, ut suprà ostendi.

Hartmannus quoque Hartmanni ab Eppingen *libr. practicar obseruat. Tit. 2. obseruat. 14.* Jurisdictio, ait, non est in territorio, quia territorium jus dicere non potest. *Bodinus item lib. 3. de repub. capit. 5. pag. 483.* prædiatoriam illam, quam fingunt Doctores jurisdictionem, prædiis cohærere negat.

Similiter Bald. *ad l. Data opera 29. C de his qui accusare possunt*, scribit, jurisdictionem esse qualitatem quandam à Castro, & feudo separatam, & quid extrinsecum.

Socin. quoq; Senior *ad leg. 1. in prin. nu. 27. ff. de adquir. vel amittenda poss. & consil. 15. nu. 2. & consil. 95. nu. 9. lib 3.* Castrum nil commune habere cum jurisdictione tradit. Novissimè Petr. Frider. Mindanus *Tractatu de continentia causarum cap. 20. conclus. 11. & 12.* Bartoli & aliorum opinionem rejicit. Jurisdictio ergo præsumenda est in dubio personæ cohærere, non loco.

17 Quando autem jurisdictio personæ cohæret, (id quod contra Doctores plerosque, ut ostendi, in dubio præsumendum est.) nunquid Princeps, qui castrum alicui in feudum concessit, eo etiam casu, quo ipse per se, vel per alium jurisdictionem in eodem castro exercuit, eam transtulisse in Vasallum præsumi debet? Doctores quidem aiunt, quos refert

refert Menoch. *lib. 3. de præsumpt. præsumpt. 97. nu. 13* & Carol. Tapia *ad d. l. ult. ff. de const. Princip. partic 1. cap 2. num. 29.* Verum sententia contraria veritati proprior videri debet: tum quia castrum & jurisdictio res duæ diversæ sunt, & seperatæ. A seperatorum autem uno, alterum necessariò inferri non potest, *l. ult. ubi Bart. & alii ff. de calumniatorib.* tum quia quòd rei principaliter concessæ non omninò cohæret, haud intelligitur cum eadem tacitè etiam translatum, *l. Quoties 29. ff. de contrahent. empt. & vendit. l. ult. ff. de suppel. leg. & l. 2 ff. de fundo instructo legat.* tum etiam quia in generali concessione non veniunt ea, quæ quis verisimiliter in specie concessurus non esset, *capit. in generali, Titul. de reg. jur. in 6. & Titul. 51. in princip. libr. 2. feudor.* tum postremò, quia re aliqua in feudum concessa eius tantum ususfructus ad Vasallum transit, *Titul. 23 in fin. vers. usus-fructus verò, libr. eod. feudor* jurisdictio autem non est, castri ususfructus. Ea igitur unâ cum castro non censetur in novum Vasallum translata. Cujac. quoque *lib. 4. feudor. Tit. 19* scribit, alienationem curtis, non sequi jurisdictionem, nisi nominatim dictum sit.

38 Non obstat text. in d. l. 1. §. 4. ff. de officio præfect. urbi: Est enim locus ille de eo, qui Urbis magistratus est constitutus. Magistratus administrationi necessariò cohæret jurisdictio, cum illâ sine hac probè fungi nemo possit. Hic verò agimus de casu, quo saltem castrum est in feudum datum. Quod si idem Vasallus etiam magistratus constituatur in Castellanos, in ipsum quoq; jurisdictionem transferri putandum erit, *per l. 1. in prin. vers. Quæ verò jure Magistratus. ff. de offic. eius, cui mandata est jurisdictio, & l. Eum qui, 13. ff. de jurisdict.*

39 Deinde non obstat, quod Principis beneficium plenissimè interpretari debeamus, *l. 3. ff. de constitut. Princip.* Hæc enim lex non ita largè accipienda est, ut ad ea etiam extendatur, quæ seperatam rationem habent, *Cujac. ad Tit. 12. lib. 1. feudor. Petr. Frider. libr. 3. de continent. causar. capitulo 20. numer. 32.*

40 Est porrò & illa ex subjectis feudi distributio, qua feudum aliud in curte Domini, aliud extra Domini curtem esse dicitur, quæ divisio proponitur à Jacob. Alvarot. *in proem. feudal. vers. Decima quarta est divisio*, & Schrad. *Tractat. feud. part. 2. cap. 3. nu. 101.* eaque depromitur *ex Tit. 5. §. pen. & ult. lib. 1. feudor. & Tit. 51. in prin. lib. 2. feud.*

Ex

Ex quo posteriori loco & illud notandum quod curtis & curia idem significent in jure feudorum. Unde etiam Pares curiæ, Pares curtis passim in jure feudorum promiscuè appellantur, ut infrà ostendam. 41

Quid autem sit feudum in curte, & feudum extra curtem sive curiam Domini, non una est omnium, sed dispar feudistarum sententia, gl. Alvarot. & Andr. de Isernia *ad d. Tit. 5. §. ult. lib. 1. feudor.* in curte Domini feudum appellant, quod datum est alicui de Camera, vel Cavena Domini: ut si ex ærario Domini certam habeat Vasallus quotannis pecuniæ summam in feudum. vel ex Domini cella nomine feudi annuum habeat proventum frumenti vini, aliarúmve rerum. Bald. verò *ad d. § ult.* Alvarot. *ad dict. Tit. 51. in prin. libr. 2. feudor.* Schrader. item *Tractat. feud. part. 2. cap. 3. num. 101. & seq.* & quidam alii alibi, Curtem Domini interpretantur universitatem quandam possessionum, sive prædiorum, quæ omnia ad solum feudi Dominum jure proprietatis pertinent, modò Dominus ibidem domum suam habeat, ad quam agricolæ & coloni ex prædictis prædiis fructus & proventus Domino obvenientes conferant, & quasi in horreum cellamvé condant. Et feudum in curte Domini appellant, quod Vasallus sub eius 42

Domi-

Domini universitate in quibusdam prædiis possidet.

Extra curtem feudum dicunt, quod possidet Vasallus in prædiis, quæ sola habet Dominus in villa, aut pago alieno. Cæterum Frider. Schenck. Baro *ad dict. Tit. 5. §. ult. lib. 1. feudor.* feudum in curte Domini habere dicit eum Vasallum, qui officium aliquod in curia, id est, domo Domini exequitur, quod feudum annexam habet, ut si dapifer, pincerna, curiæ Præfectus, aut architriclinus sit, & hoc nomine feudum possideat.

Huic sententiæ videtur etiam accedere Cujac. *ad Tit. 1. §. Item illud, libr. 1. feudor.* & eum secutus Johannes Borcholt. *in comment. in consuetud. feudor. capit. 2. num. 26.* qui ambo curiam sive curtem Domini interpretantur domum, castrum, palatium, prætorium Principis.

Sonsbeckius verò *in commentar. ad usus feudor. part 3. nu. 29.* existimat, feudum in curte Domini illud esse, quod Vasallus possidet ibi, ubi Dominus curiam habet jurisdictionalem, quamvis ibi nullas alias possessiones retineat. Verum enimverò potest Dominus feudi jurisdictionalem habere curiã, etiam in territorio alieno; feudum tamen quod ibidem alicui dedit extra curtem Domini esse dicitur, *in dict. Tit. 5 §. ult. li. 1. feu.*

Accu-

Accuratius autem considerans juris feudorum textus, curtis appellatione significari nihil aliud puto, quàm territorium, ut feudum in curte Domini sit feudum illud, quod in territorio sui Domini Vasallus possidet, etiamsi territorii illius prædia cætera non Domini, sed subditorum sint, *per text. in dict. 5. §. pen. & ult. lib. 1. feud. & Tit. 51. in prin. lib. 2. feudor.* Priori enim loco distinguitur inter curtem Domini, & curtem alienam: & traditur, quod Vasallus feudum suum in curte Domini quod habet, alienare sine consensu eius nequeat. Idem quoque disponitur ibidem de feudo in curte aliena: modò in ea curte Dominus feudi districtum vel alium honorem habeat. 43

Per districtum significatur coercendi jus & potestas, atque ita merum Imperium: per alium honorem denotatur jurisdictio specialis. Districtus enim nomen à distringendo deducitur, quod verbum scriptores in huius generis materia usurpant pro coercendo, ut exemplis ostendit Hotoman. *in libello de verbis feudalib. in verb. districtus.* 44

Quia ergo districtus nomen coercendi potestatem sive merum imperium significat, dubium est nullum, quin per alium honorem dicto loco denotetur jurisdictio quævis alia.

Id

Id quod sentire etiam videtur Bald. *num. 2;* & Alvarot. *n. 2. ad dict. §. ult. Tit. 5. libr. 1. feud.* Quod cum ita sit per curtem certè nil nisi territorium ostenditur *in dict. Tit. 5. §. pen. & ult. lib. 1 feud.*
45 Territorium etenim est subjectum occupans, sive Objectum meri imperii, & cuiusque alterius jurisdictionis, *per text. in l. ult. ff. de jurisdict. l Pupillus, 239. §. Territorium, ff. de verb. sig. & l. 1. in prin. & §. Initio ff. de offic. praefecti Urbi.*

46 Posteriori loco *in dict. sc. Tit 51. in prin. lib. 2. feudor.* Verba, *Curtis & Cursa*, idem significare arguit ibi textus apertè. Quod enim ibi Jurisconsultus feudista primò appellavit *Curtem*, id confestim vocat *Curiam:* Curia autem in huius generis materia territorium denotat, uti evincitur *ex C. Cum B rtholdus, in prin. extra de sentent. & re judic.* Ubi Pontifex Innocent. III. primò mentionem facit curiae: Deinde curiae nomen Universitatem fundorum interpretatur, quae sanè aliud est nihil intra fines cuiusque civitatis, sive pagi, quam territorium, definitore Pomponio Jurisconsulto, *in d. l. Pupillus 239. §. Territorium, ff ver. sig.*

Adhaec probatur eadem nostra haec interpretatio textu *Tit. 18. ibi, Per judicem curtis, lib. 1. feud.* Ubi judex Curtis est judex territorii, ut colligitur *ex dict. l. ult. ff. de jurisdiction.*

Eſt ergo feudum in curte Domini, quod Vaſallus in Domini territorio poſſidet: Et feudum extra Domini curtem, quod Vaſallus obtinet in prędiis, quæ Dominus habet in territorio alieno, etiamſi prædia cætera eiuſdem territorii jure proprietatis ſint non Domini, ſed ſubditorum. 47

Hotomannus quoque curtis & curiæ appellationem de univerſo territorio interpretatur *ad Tit. 34 in verb. Cum curia, lib. 2. feud. & libello de verb. feudal. in verb.* curtis, ut & contius *in Methodo de feudis cap. de divisionib. feudor. in fin. verſ. Decima diviſio.* Atque hanc interpretationem agnoſcere videtur quoque Myniſinger *cent. 4. obſerv. 89.* Weſenbec. *Tractat. de feudis cap. 17 num. 3.* & Schrader. *Tractat. feudal. part. 10. ſect. 7. nu 22* Ubi pares curiæ definiunt convaſallos, qui in eodem Domini ſui territorio feuda tenent.

Interdum tamen curia ſignificat non territorium, ſed ipſos Vaſallos Domini ſub eodem territorio feuda poſſidentes, *in Tit. 15. in fin. & Tit. 46. in fin. ibi, Curia vacante, lib. 2. feudor.*

Prima, ut & tertia Interpretum opinio de feudo in curte Domini, ideo ferenda non eſt, quod curtis verbum continetur fundis, ut diſertè arguit textus *in Tit. 4. §. Si quis de manſo. lib. 1. feudor.* Ubi agitur de manſo, id 48

est fundo quodam in feudum dato, & subjicitur quod mansus sit in curte: Curtis ergo non est Camera vel Cavena Domini: neque est illius Domus: quippe cum fundus in Camera, cavena, aut domo non sit.

49 Quod attinet opinionem secundam, ea quidem probari censetur textu *in dict. Tit. 4. §. Si quis de manso, lib. 1. feudor. & Tit. 51. in princip. lib. 2. feudor.* qui uterque locus ostendere videtur, curtem esse eam prædiorum universitatem, quæ prædia omnia jure proprietatis ad Dominum pertineant. Verum quia prior locus in vers. *Sed si Dominus*, aperte arguit, fieri posse, ut Dominus in curte aliqua nihil nisi unum habeat mansum proprium, quem in feudum dedit; cætera autem prædia sint aliena, certè nec isthæc opinio sustineri potest: maximè cum curia sive curtis sit universum territorium, *Titul. 34. §. Ex eodem, vers. ibi enim, & vers. Cum curia, & dict. Tit. 51. in princip. libr. 2. feudor.* mansus verò unus territorium universum non constituat, ut dictio *unus* haud obscurè ostendit, relata scilicet ad *curtem*, sub qua est unus ille mansus: Necessum ergo est, *ut Text. in dict. Tit. 4. §. Si quis de manso libr. 1. feudor.* ita exaudiatur, ut in curte illa, sub qua unus mansus, quem solum ibi Domi-

nus

nus habuit, in feudum datus est, adhuc alia sint prædia, quæ non ad Dominum feudi, sed alios pertineant.

Quartam etiam Sonsbeckii opinionem erroneam esse, prius ostendi *ex dict. Tit. 5. §. ult. lib. 1. feudor.* Unde apparet, quod Dominus feudi extra curtem suam in curte aliena jurisdictionem habere possit, proindeque etiam palatium jurisdictionale; in quo jus dicat, & exerceat jurisdictionem. 50

Quod si autem quærat aliquis, cur ipsum territorium Domini contineatur curtis & curiæ appellatione; respondendum, id fieri ratione adjuncti, quod scil: Dominus in uno quoque suo territorio plerumque curiam; id est, palatium & domum, seinen Hoff / habere solet: quippe cum pares curtis sive curiæ in feudorum libris dicantur quoque pares domus, *Tit. 11. lib. 1. feudor.* item pares de domo Domini, *Titul. 26. §. Si quis libr. 1. feudor.* & pares curtis domus, *Tit. 2. in prin. lib. 2. feud.* 51

Sunt autem pares curtis, sive curiæ (ita enim promiscuè appellantur, *Tit. 2. §. 1. ibi, Per pares curtis, Tit. 10. ibi; Per pares curiæ, libr. 1. feudor. & Tit. 2. in princip. ibi, Per pares curtis, item ibi, per pares curiæ illius libr. 2. feudor.* atque alias etiam compares dicuntur *Titul. 34. in fin.* 52

lib. eod. feud.) plures Vasalli, qui ab eodem Domino in illius territorio eodem feuda possident, Mynsing. *dict. cent. 4. observ. 89. circa finem* Ubi Pares, ait, curiæ censentur, qui feudum habent in eodem territorio. Et paulò post, verum, inquit, non omnes sunt pares curiæ, sed solum hi, qui in territorio ligitiosi feudi beneficium habent. Wesenb. item *Tractat. de feud. cap. 17. num. 3.* Pares, ait, curiæ dicuntur qui in eodem territorio, & in eadem curia ab uno eodemque Domino universali feuda dependentia recognoscunt. Similiter Schrader. *Tractat. feudali part. 10. sect. 7. num. 22.* Pares curiæ vocat, qui in eadem provincia, in qua feudum controversum situm est, ab eodem Domino feuda tenent, sive quorum feuda unâ, cum feudo controverso eiusdem Domini territorio & curiæ sive domus Dominicali subsunt.

53 Vocantur autem pares, item compares, non quod suo Domino sint pares, sed quod pares sint inter se, respectu scilicet eiusdem curiæ, sive curtis, ut rectè notat Duaren. *in commentar. in consuetud. feudor. capit. 7. num. 3.*

54 Vocari hoc loco in quæstionem & illud potest, num curtis & curiæ appellatione significetur non tantum cuiusque civitatis & præfecturæ territorium, sed etiam universi-

tas

tas & ambitus cuiusque provinciæ, puta Ducatus, Comitatus, Baroniæ? Cuiusque civitatis territorium denotari curtis item Curiæ verbo arguit textus *in dict. Tit. 51. in prin. li. 2. feudor.* Ubi proponitur casus, quo Capitaneus curtem sive curiam, suam vendit. Capitaneus autem Vasallus is est, qui à Duce, Marchione, vel Comite de plebe aliqua, vel parte plebis, id est de civitate vel præfectura quadam per feudum investitus est *per text. in Tit. 10. vers. Qui verò à Principe, lib. 2. feud.*

Sed volunt etiam Doctores curtis, item 55
curię appellatione significari integrum quoque Ducatum, Comitatum Baroniam, Schrader. *Tractat. feudal. part. 10. sect. 7. num. 22. & seqq.* Wesenbec. *consil 41. num. 52. & Tractat. de feud. cap. 17. num. 3.* Mynsing. *cent. 4. obser. 89. in fin. vers. Territorium*, Unde pares curtis sive curiæ dicuntur & illi plures Vasalli inter se, qui in una eademque provinciæ illius Domino, feuda possident, licet non omnes in una eademque provincię eiusdem præfectura, sed in præfecturis diversis sua feuda teneant ut proximè citati Doctores tradunt.

Plurimum autem refert scire, an plures 56
eiusdem Domini Vasalli pares sint curiæ sive curtis, nec ne, maximè verò in quæstione de judicibus feudalibus, itemque de testium

adhibitione & testimonii dictione in controversia feudorum, *Tit. 2. §. 1. Tit. 3. Tit. 4. §. 1. §. Item si Vasallus & §. Item si quis, Titul. 26. §. Si quis, Tit. 19 in princip. & Tit. 11. libr. 1. feudor. Tit. 2. in prin. Tit. 16. in princip. Tit. 29. in prin. libr. 2. feudor.*

CAP. V.

De feudi distributione ex adjunctis.

SUMMARIA.

1. Distributio hæc, qua feudum aliud dicitur ex pacto & providentia, aliud hæreditarium, principem locum inter cæteras divisiones obtinet, de qua multiplex Interpp. censura extat.
2. Quid sit utrunque dispiciendum primum est, ut cōditio eius cognoscatur.
3. Feudi ex pacto, & providentia, item hæreditarii feudi definitio vulgo tradita.
4. Quidàm mixtum faciunt feudum.
5. Feudi ex pacto & providentia definitio vera ab Authore traditur.
6. An in feudum ex pacto & providentia fœminæ quoque succedant, quæri potest.
7. Verba definitionis: Cuiusque gradus ordine successivo explicantur.
8. Verba item, Iure proprio, in definitione posita declarantur.
9. Isernien sis & Barth. Camerarii sententia.
10. Verborum denique: ut illi commodum eius ad dies vitæ &c. in definitione positorum, sensus.
11. Hæreditarium feudum duplex est: Aut est hæreditarium in specie ita dictum, aut merè & absolutè hæreditarium.
12. Non pauci existimant, aliquod mixtum esse feudum ex utroque altero conflatum.
13. Definitio feudi mixti à quibusdam tradita.

14. Bas-

14. Bartholom. Camerar. feudum ex pacto & providentia appellat hæreditarium.
15. Feudum ex pacto & providentia nihil participat de feudo hæreditario.
16. Feudi hæreditarii essentialis forma, est ut jure hæreditatis sive allodii censeatur.
17. Barth. Camerarii argumentum refutatur.
18. An distributio in feudum ex pacto & providentia, & feudum hæreditarium, commoda sit necnè.
19. Barth. Camerar. Iura feudalia feudi hæreditarii aperte meminisse scribit.
20. Suam de hac distributione feudi sententiam aperit Author.
21. Peccat hæc quoq; distributio contra leges logicas.
22. Distributio hæc feudi usu recepta est
23. Non desunt, qui feudum ex pacto & providentia convenientiori vocabulo familiare sive de familia insigniri posse putant.
24. Rectius secundum Authorem feudum filiale diceretur.
25. Quibus verborum formulis utrinq; feudum hoc constituatur, de hoc argumento tot ferè feudistarum opiniones sunt, quot ipsorum Capita.
26. Regulæ Interpp. quà feudum ex pacto & providentia esse censent, si in concessione eius nulla hæredum mentio facta fuerit quæ cum moderatione secundum ipsos accipienda sit.
27. Hæreditarii feudi formulam esse, aiunt Interpp. in qua expressè hæredum mentio fiat.
28. Formulæ quædam apponuntur germanicè conceptæ, quibus feudum non hæreditarium, cum qualitate tamen hæreditaria concedi nihil dubitandum est.
29. Multum interest Iure Civili, hæredibus ne aliquid concedatur, an vero liberis
30. Objectio diluitur.
31. Sufficit, expressum sortiri effectum secundum naturam rei. de qua agitur.
32. Præstat, pacta & verba eorum nihil operari, quam contra naturam negocii, & subjectam materiam interprætari.
33. Non est in frequens, ut, quod rei inest tacitè, id majoris declarationis, & dubitationis tollendæ causà exprimatur.

34. Contrariæ opinionis argumentum primum dissolvitur.
35. Alterum adversæ sententiæ argumentum enervatur.
36. Utrum in dubio hæreditarium, an verò feudum ex pacto & providentia potius præsumendum sit, quæritur.
37. Argumentum pro contraria opinione.
38. Alterum contraria pro sententia argumentum.
39. Num. Tit 45 lib. 2 feud. de hæreditario, vel ex pacto & providentia feudo accipiendus sit, Interpp. solicitè quærunt
40. Usus & Effectus distributionis, quâ feudum aliud ex pacto & providentia, aliud hæreditarium dicitur, duabus potissimum rebus continetur, Alienatione & successione.
41. Ratio, cur Vasallus, inconsulto Domino, feudum alienare non possit.
42. Vasallus feudum absque consensu Domini alienando, contemnere Dominum dicitur.
43. Ad feudi alienationem quando consensus quoque Agnatorum desideretur
44. Ratio prohibitæ feudi alienationis, inconsultis agnatis factæ, quæ sit.
45. Num patri sit integrum, feudum novum suum ex consensu Domini in præjudicium filiorum suorũ alienare, quæstio est anceps.
46. Affirmativæ opinionis argumenta examinantur & rejiciuntur.
47. Feudi ex pacto & providentia natura, quoad successionem.
48. Feudi quam cæterorum, merè & absolutè hæreditarij longè alia conditio est.
49. Quod feudum, ut vocant, mixtum attinet, an in præjudicium successorum ex consensu Domini alienari possit, dissentiunt Interpp.
50. Prout feudum merè hæreditarium licitè inter vivos alienari potest, ita multo magis per ultimam voluntatem.
51. Feudum hoc merè hæreditarium quicunque vult obtinere, hæres defuncti Vasalli esse cogitur.
52. Quæritur sufficiat ne, aliquem in allodialibus tantum hæredem esse, an vero in ipso quoque feudo hæres esse teneatur?

53. Num sufficiat, eum, qui hæreditarium obtinere cupit feudum, primi adquirentis hæredem esse, an vero ultimo defuncti hæres esse debeat Controversum est.

54. Num Vasallus, qui in hæreditarium feudum succedit, universalis hæres esse teneatur, an vero hæredem ipsum particularem esse, sufficiat, in quæstionem vocatur.

55. Vtrum feudum, cui per investituræ pactum conditio hæc adposita est, ut Successor feudi, si illud obtinere velit, hæres quoque Vasalli existat, alienabile sit, & in quosuis hæredes transitorium?

56. Vtrum filiæ ex feudo hæreditario legitimam petere possint, quæstio dubia est.

57. Feudum aliud est proprium, aliud vero improprium.

58. Feudum proprium est, quod communem & consuetam feudi rationem & qualitatem continet.

59. Feudum proprium ut sit, duo ad hoc requisita desiderantur.

60. Naturalis & consueta feudi qualitas, variis in rebus consistit.

61. Improprium feudum definitur.

62. Feudum emptum proprium ne sit, vel improprium, quæritur.

63. Vtrum feudum illud, quod vocant conditionatum, quod ad certum aliquod servitium est datum, proprium vel improprium sit, dubitatur.

64. An Vasallus, qui ad definitum aliquod servitium est obstrictus, ad cætera etiam naturalia & usitata servitia in dubio obligatus esse censeatur, controversum est.

65. Feudum in dubio proprium esse præsumitur.

66. Feudi natura propria in uno atq; altero deposita, in cæteris tamen retineri dicitur.

67. Feudum aliud est ligium, aliud non ligium.

68. Feudum ligium unde derivetur.

69. Distributio feudi in ligium & non ligium, non est ex forma feudi, sed eius adjuncto contrà Dn. Vult. & Obrecht.

70. Feudum ligium ab eo solo concedi potest, qui Superiorem non recognoscit.

71. Utrum consuetudine recipi possit, ut quis Vasallus sit ligius duorum diversorum Dominorum, à quo utroq; etiam diversa feuda ligia possideat?
72. Num investitura nominatim exprimi necesse sit, ut feudum sit ligium quæritur.
73. An feudum ligium refutari possit nec ne, in quæstionem vocatur.
74. Erroris arguenda est opinio eorum, qui in feudum ligium fœminas quoq; succedere posse volunt.
75. Feudum non ligium quod sit, ex definitione feudi ligii satis superq; cognosci potest.
76. Feudum aliud novum, aliud vetus dicitur.
77. Definitio feudi Novi traditur.
78. Feudum Vetus definitur.
79. Feudum Vetus triplex est: Paternum, Maternum & Extraneum.
80. Veteres & recentiores plerique Interpp. feudo paterno feudum apponunt antiquum.
81. Feudum antiquum à paterno non differt specie.
82. Definitio feudi paterni.
83. Definitio feudi materni.
84. Hallucinantur Interpp. dum dividendo feudum in novum paternum & antiquum, materni non meminerunt.
85. Extraneum feudum quod nam vocetur.
86. Feudum hoc extraneum in persona successoris novum dici nequit.
87. Utrum feudum novum vel paternum sit hoc, quod Vasallus precio feudi antiqui venditi comparavit, quæratur:
88. De feudo paterno, quod Vasallus ab feloniam amisit, ex gratia vero Domini & consensu Adgnatorum ipsius filiis redditum est, novum sit nec ne, dubitatur.
89. De feudo paterno, tempore vel generatione finito, ad Dominum reverso, & agnatis reddito, quid juris.
90. De feudo item paterno, quod Vasallus Domino suo ad hoc refutavit, ut de eo filii vicissim investirentur, quid censendum sit, quæritur.
91. Paternum ne vel novum sit feudum hoc, quod primo adquirenti jure feudi paterni concessum est, in quæstionem vocatur.

92. Feu-

92. Feudum Ecclesiasticum novum jure antiqui feudi à Prælato dari non potest.
93. Quæritur item, an Dominus de feudo paterno Vasallum successorem jure feudi novi ita investire possit, ut agnati Vasalli huius à feudi successione excludantur?
94. Quodsi dubitatur, Novum ne, an Vetus sit feudum, quale in dubio præsumendum sit?

1 Inter cæteras feudi ex adjunctis distributiones, principem obtinet locum ea divisio, qua feudum aliud dicitur ex pacto & providentia, aliud hereditarium: de qua sanè distributione Interpretum censura multiplex est.

2 Ut autem eius conditionem probè pleneque cognoscamus, dispiciemus primum, quid sit feudum ex pacto, & providentia, quid item feudum hereditarium; tum an commodè feudum in has partes dispertiatur necné? tum etiam, qua Verborum forma quodq; eiusmodi feudum constituatur: tum postremò quis sit usus cuiusq; illius feudi.

3 Feudum ex pacto & providentia vulgò definiunt, quod pro Vasallo, & eius filiis, vel liberis nulla facta heredum mentione, concessum est. Hereditarium appellant feudum, quod alicui, & heredibus eius concessum est. Atque hæc concors est omnium opinio, ut ostendunt Jul. Clar. *in §. Feudum, quæst. 9. nu. 2. & 3.* Ar. Pinel. *ad l. 1. Cod. de bonis matern. partic. 3. num. 84. & seq.* Bartholomeus Camerar. *ad l. Imperialem, §. Præterea Duca-*

Ducatus lib. 2. feudor. Schrader. *Tractat feudal. part. 2. cap 3. num 19. & seq.* Menoch. *consil. 104. num. 6. lib. 1.* Hartman. Pistor. *lib. 2. quest. jur. quæst. 1. num 1.* Joan Borcholt. *in comment. in consuetud. feud. cap. 3. divis. 4.* & Henric. à Rosenthal. *in Synopsi juris feudalis cap. 2. conclus. 23. & seq.*

4 Quidam mixtum faciunt feudum, ut quod partim sit ex pacto & providentia, partim hereditarium, puta quod quis pro se & filiis suis accepit. Hanc mixturam qui agnoscunt allegat Hartman. Pistor. *dict. quæst. 1. nu. 47.* & Herman. Vultej. *lib. 1. de feud. cap. 8. nu. 30. pag. 317.* In eorum quoque consortio est Ioan. Borcholt. *d. c. 3. divis. 4.*

Verùm ipse Vulteius *d. cap. 8. nu. 26.* rectè existimat, in verbis investiturarum non probè ipsas definitiones constitui. Vocabulum enim heredis in feudorum jure solos liberos masculos significat, non heredem allodii quemvis, *Tit. 13. §. & si Clientulus, lib. 1. feudor. & Tit. 34. §. Similiter vers. Profecto lib. 2. feudor.*

Arbitratur autem Vultejus ipsas definitiones ex jure, quo in quodq; tale feudum succeditur, conficiendas esse. Unde feudum ex pacto & providentia definit, in quo succeditur Jure sanguinis secundum dispositionem juris feudalis. Feudum autem hereditarium definit, in quo succeditur jure hereditario, non

non ex providentia juris feudalis, sed ex juris communis dispositione.

Atqui has etiam definitiones imperfectas esse, vel ex eo cognoscitur, quod huiusmodi aliquod feudum æstimamus non ex solo successionis jure, sed etiam ex Vasalli potestate disponendi de eiusmodi aliquo feudo: cum de hereditario feudo liberè & inter vivos & in ultima voluntate disponere possit, *Tit. 48. lib. 2. feud* De feudo autem ex pacto & providentia non æquè, *Tit. 8. in fine prin. lib. 1. feudor.*

Reor autem feudum ex pacto & providentia ita commodè definiri, Si dicamus, illud esse, cuius ea est ex providentia legis feudalis natura, ut ad primi adquirentis liberos præcipuè masculos cuiusque gradus ordine successivo, ita jure proprio pertineat, ut illi commodum eius ad dies vitæ capere, non etiam in eo successori præjudicare ulla ratione possint.

Dico *ex providentia legis feudalis*, quâ nota primum differt hoc feudum ab hereditario feudo, ut cuius conditio à pacto investituræ pendet, non à dispositione juris feudalis, à qua sola feudi ex pacto & providentia natura est, ut patet *ex Tit. 48. libr. 2. feudor.*

Quidam tamen putant, feudum hoc dici ex pacto, respectu primi adquirentis, cuius

pacto

Sed quia maximè transit ad masculos 6
hoc feudum, quæri potest, sitné ex pacto & providentia feudum, in quod etiam fœminę succedunt? Et sanè hoc quoque feudum ex pacto & providentia esse, vel hinc evincitur, quod duntaxat ex pacto investituræ, non ex ipsa legis providentia in feudum à mare adquisitum fœminæ succedunt, & quidem eo tantum casu, quo masculi deficiunt, *Titul. 8. §. ult. libr. 1. feudor. Tit. 11. §. Ad filias. & Titul. 50. in prin. libr. 2. feudor.* Cum itaque naturam suam in cæteris nihilominus retineat & hoc feudum, *per text. in Tit. 48. libr. 2. feud.* erit nihilominus ex pacto & providentia feudum.

Addo in definitione: *Cuiusque gradus* 7
ordine successivo. Non solum enim ad filios, sed & nepotes, cæterosque descendentes feudum hoc pertinet, & quidem ordine successivo. Extantibus enim filiis nepotes excluduntur, qui succedunt tantum filiis deficientibus, & nepotibus non extantibus, pronepotes admittuntur, *Tit. 2. in prin. vers. Filiis enim & Tit. 50. lib. 2. feudor.*

Ad pono in definitione: JURE PROPRIO. Successores enim huius feudi capiunt ipsum feudũ, nõ ut heredes ultimò defuncti vasalli, sed

ſed ſuo proprio jure, ut quibus ita datum eſt tum beneficio primi concedentis Domini, & adquirentis Vaſalli, tum etiam providentia & miniſterio legis, *Tit. 14 §. Capitanei, ibi, Prædicti fratres, vel nepotes per inveſtituram patris & avi in beneficium ſuccedunt libr. 1. feudor.* Unde Gl. & Dd. *ad Tit. 1. in fine lib. 2. feud.* dicunt, quod filius magis antea adquiſitum capiat feudum, quam de novo illud à morte patris adquirat.

Atque hinc etiam dicitur venire ſucceſſor ad feudum hoc ut ex tunc, non ut ex nunc, And. de Iſernia *ad Tit. 8. num. 7. in fin. libr. 2. feudor.* & Curt. ſenior. *conſil. 50. num. 17.* Idem quoque Iſernienſis *ad Tit. 55. col. 4. lib. 2. feudor.* exclamat, quod magis beneficio dantis, quam patris feuda antiqua habeamus.

9 Idem quoque *eodem loco ut & ad Tit. 8. §. Hoc quoque col. 3. lib. 1. feud. & Tit. 8. §. Quid ergo, col. 2. lib. 2. feud.* & eum ſecutus Barthol Camerar. *addict. l Imperialem, §. Præterea Ducatus, lib. eod. feud. pag. 269* docet, quod feudi huius conceſſio non una ſit donatio pro primo adquirente, & omnibus ſequentibus, ſed potius totidem cenſeantur fieri donationes, quot ſunt perſonæ, ita ut unicuique ad vitam eius intelligatur facta donatio, & poſt cuiuſque mortem ſequenti incipiat ſimiliter ad vitam. Et ſubjicit dicto

loco

loco Camerar: Hinc ſanè provenit, ut cum poſt vitam unius donatio finem habuerit, alter jure ſuo feudum capiat.

Soccin. quoque *conſil. 19. vol. 1.* ſcribit, filios maſculos non jure ſucceſſorio & univerſali, aut pro herede, ſed proprio jure beneficio dantis in feudo, quod à cæteris bonis ſeparatur, ſuccedere: quoniam ſi ex propria donatione feudum adquiro, Dominus qui dedit, & primus adquirens fuerint in cauſa, non pater, qui moritur nunc.

Addo tandem in definitione, ut illi com- 10
modum eius ad dies vitæ ſaltem capere, non etiam ſucceſſori præjudicare ulla ratione poſſint, *per text. in Tit. 8. in fin. prin. lib. 1. feud.* Juriſconſultus feudiſta, nulla, ait, ordinatione defuncti in feudo manente, vel valente. Confert eodem textus *in Tit 3. §. Sed etiam res, & Tit. 26. §. Titius filios, & Tit. 39. lib. 2. feudor.*

Hereditarium feudum ex ſententia Dd. duplex eſt. Aut enim eſt hæreditarium ita in ſpecie dictum: aut eſt merè & abſolutè hæreditarium, Dec. *conſil. 185. Incip. In cauſa iſtorum nobilium,* Sylvanus *conſil. 30. Incip. Facti quæſtio ſic ſe habet, num. 25. vol. 1.* Marianus Socin. *conſil. 114. Incip. In cauſa feudal. inter nobiles, nu. 9. vol. 2.* Cravet. *conſil. 256. Incip. In cauſa tranſmiſſa agam, numer. 8. verſ. Hic tamen videndum eſt,* Jul. Clar. *in §. Feudum,*

quæst. 9. nu. 2. Hartman Piſtoris, *lib. 2. quæst jur. quæst 1. nu. 40. & 47.* Hereditarium feudum ita ſpecialiter dictũ illud eſt, quod quidem liberis maſculis primi adquirentis datum eſt, ſed ſub mentione heredum, puta hoc modo: Tibi, & liberis tuis maſculis heredibus hæc prædia in feudum concedo, ut latè oſtendit poſt alios Hartman. Piſtoris *lib. 2. feud. quæſt. 1.*

11 Merè & abſolutè hereditarium feudum eſt (idque ſolum jura feudalia agnoſcunt) quod ex placito Domini dantis, & Vaſalli primi adquirentis jure alodii cenſetur. Alodium eſt quod jure proprietatis ad nos pertinet, ſive proprium cuiuſque liberi hominis patrimonium, de quo liberè diſponere poteſt, quodque tranſitorium eſt ad omnes heredes etiam extraneos. Quod enim Alodium eſt in *Titul. 17. §. ult. & Titul. 26. § Inter filiam libr. 2. feudor.* id proprietas dicitur in *Tit. 4. §. Cum autem, libr. 1. feudor. & Tit. 29. verſ. Iſti in proprietatem, lib. 2. feud* & jus proprium vocatur *in Tit. 42. ibi, item jure proprio haberi dicitur, in Tit. 44. verſ. Profectò, eod. libr.* Appellatur quoque hereditas *in Tit. 45. in prin. & Tit. 51. §. Si contentio, in prin. libr. 2. feudor.* Illud autem hereditarium feudum eſt, quod allodii id eſt, proprietatis & hereditatis jure cenſetur, ut de eo Vaſallus diſponere libe-

liberè possit, quodque ad omnes etiam extraneos heredes transit, *per text. in Tit. 48. libr. 2. feudor.* Atque hoc differt feudum hereditarium, à feudo ex pacto & providentia. Hæc autem conditio huius feudi non est ex lege feudali; sed ex placito & conventione Domini & Vasalli, qui feudum primitus constituerunt, *dict. Tit. 48. in princip. ibi, ea lege, libr. eod. feudor.* Ubi legis nomen non constitutionem legislatoris, sed pactionem significat, sive conventionem, ut alias sæpè, *l. Legem 10. Cod. de pactis, & l. 1. C. de pact. convent. l. 5. ff. de sepulchro violat. & Tit. 27 lib. 1. feudor.* Volunt tamen Doctores ad alienationem huius feudi consensum quoque Domini necessario desiderari, Hartman. Pistor. *lib. 1. quæst. jur. quæst. 1. num. 58. 81. 92. 97. & seq.* quæ opinio vera sit necnè, infra ostendam, in articulo argumenti huius quarto.

Exposito quid feudum sit ex pacto & providentia, quid item hereditarium feudum, videamus num aliquod feudum sit mixtum, ex utroque altero conflatum. Id quod existimant non pauci; quos longo indice exhibent Jul. Clar. *lib. 4. sentent. § feudum quæst. 9. numer. 4.* Hartman. Pistor. *libr. 2. quæstion. jur. quæst. 1. numer. 47. & quæst. 3.* 12

num. 18. & 20. Herman. Vult. *libr. 1. de feudis cap. 8 nu. 30. pag. 317.*

13 Mixtum autem definiunt feudum, quod pro primo adquirente & eius liberis heredibus sine alia adjectione constitutum est, puta huiusmodi aliqua verborum conceptione, Tibi & filiis tuis heredibus; vel Tibi & liberis tuis heredibus; vel Tibi & heredibus tuis prædia hæc in feudum concedò. Hoc modo concessum feudum, cum alii ex pacto & providentia, alii hereditarium dicerent feudum: quidam ingredientes mediam viam, mixtum potius appellandum hoc feudum putarunt, ut ostendit Hartman. Pistor. *dict. quæstion 3.* & Herman. Vult. *dict. 8 num. 30.* Bartholm.

14 Camerar. *ad l. Imperialem §. Præterea ducatus, pag. 767. in fin. & pag. seqq.* appellat feudum ex pacto & providentia hereditarium.

15 Cæterum huiusmodi alquod feudum nihil participare de feudo hereditario, sed merè & absolutè feudum esse ex pacto & providentia intrepidè affirmo.

Feudum hereditarium ex sua substantia, id est, forma essentiali sive differentia specifica, æstimandum est.

Est autem huius feudi substantia, inspecto feudorum jure, (ut suprà ostendi) quod jure hereditatis sive allodii, id est propriorum bonorum jure censetur, ut de eo Vasallus

etiam

etiam successor liberè disponere possit, idque ad extraneos quoque heredes transeat. Hæc autem conditio feudi huius, quod mixtum vocant, non est. Feudum enim hoc in præjudicium successorum alienari non potest, licet Dominus consentiat alienationi, *Tit.39. lib. 2. feudor.* neque in illud extranei heredes, sed soli ex primo adquirente descendentes succedunt, ut tradunt Barthol. Camerar. *ad l. Imperialem §. Præterea Ducatus pag.778.* & alii Doctores, quos referunt & sequuntur Hartman. Pistoris *dict. libr. 2. quæst. jur. quæst. 1 numer. 47. & dict. quæst. 3. nu. 20. quæst. 14. num. 5.* Menoch. *consil. 960. num. 16. lib. 7.* & Vult. *dict. cap. 8. numer. 30. pag. 315. & pag. 318. in prin* Non est ergo hoc feudum hereditarium, sed implicat contradictionem, qui feudum hoc dicit hereditarium.

Sed obstare videtur, quod Camerarius ad *d. l. Imperialem, §. Præterea Ducatus 776. vers. Dixi secundum, & pag. 779. lin 9. & seq.* disertè scribit, huius feudi hanc esse naturam, quod Vasalli successor in illo ipso feudo heres sit, proindeque hereditariam qualitatem obtinere & hoc feudum. 17

Verum hanc Camerarii opinionem haud consistere posse vel ex eo liquet, quod successor feudum hoc alienare nequit, ut antea dixi, cum tamen heres rem omnem, quam

hereditario jure adeptus est, ut propriam liberè alienet, siquidem eius sit Dominus *§. Pro herede autem, vers. Pro herede enim, junct. vers. seq. Instit. de heredit. qual. & different.* & Dominus pro suo arbitrio rem propriam alienare queat, *l. pen. ff. de pactis.*

Et licet in prima investitura pacto singulari sit actum, ut liberi primi adquirentis successores huius feudi, sint etiam heredes, attamen haud sequitur inde, pactum illud hoc sensu accipiendum esse, quod feudi successores debeant etiam in ipso feudo heredes esse: quippe cum feudum & hereditas opponantur in jure feudali, ita ut quis succedere in feudum possit repudiata hereditate Vasalli defuncti, *Tit. 45. libr. 2 feudor.* & quamvis defuncti Vasalli filii teneantur esse heredes patris, modò feudum adquirere velint, non tamen in ipso feudo heredes patris sunt, sed feudum adhuc separatum aliquid est ab ipsa hereditate patris, ut evincitur ex *dict. Tit. 45. vers. ubi verò & Tit. 51. §. Filius non potest, lib. 2 feud.*

Heres & hereditas conjugata sunt. Cum ergo feudum non sit hereditas, ut modò ostendi, nec in eo successor dici heres potest. Quod Vasallus ex pacto investituræ, si feudi particeps esse velit, heres esse proximè defun-

functi Vasalli tenetur, id personam eius, non feudum ipsum afficit. Feudum ergo, de quo agimus, ex pacto & providentia feudum est, etiamsi Vasallus successor jubetur esse heres defuncti Vasalli. Proindeq; hereditaria qualitas huic feudo nulla inesse potest.

Non obstat, quod Vasallus hic successor factum defuncti ratum habere & præstare tenetur, puta debitum ab ipso contractum, *per l. Cum à matre 14. Cod. de rei vindic. & l. Ex qua persona 149. ff. de region iur.* Huic enim astringitur oneri successor, non ut Vasallus; sed ut heres hereditatis, id est allodii, ut diserte arguit text. *in dict. Tit. 48. libr. 2. feudor.* Non ergo huiusmodi aliquod feudum est mixtum, sed merè & absolutè ex pacto & providentia feudum.

18 Dispiciamus nunc, utrum commoda sit nec ne distributio feudi, qua aliud dicitur ex pacto & providentia, aliud hereditarium. Dec. *consil. 445. num. 7. in fin.* & eum secutus Menochius *consil. 104. nu. 5.* nomen illud feudi, *Ex pacto & providentia*, confictum à Doctoribus scribunt. Andr. quoque de Isernia isthæc verba, *Ex pacto & providentia*, magistralia esse dicit. Hartman. item Pistor. *libr. 2. quæstion. jur. quæst. 1. num. 2. & 99.* non solum

nomen illud feudi, ex pacto & providentia, in jure feudali penitus non reperiri, sed nec etiam hereditarium feudum, disertè tradit. Idem hoc de nomine judicium est Ar. Pinel. *ad l. 1. C. de bonis matr. part. 3. num. 84.* Ubi nomen huius feudi commentitium ac damnandum ait. Fachinæ. item post alios *lib. 7. controvers. cap. 3. vers. Sed omisso.* divisionem hanc recipiendam non esse affirmat, quod partes illæ inter se oppositæ & differentes non sint, cum omne feudum etiam hereditarium sit ex pacto & providentia, & hoc etiam hereditarium. Hartman. item Pistor. *dict. quæst. 1 nu. 99.* ingenuè fatetur, se non esse alienum à sententia eorum, qui hanc communiter receptam doctrinam penitus rejiciunt, ac variis argumentis distinctionem hanc *nu. eodem & seqq.* improbat. Dominus quoque Obrechtus *in disputat. feudali secunda thesi 230. & seq.* omnino suffragatur Hartmanno Pistoris. Acceptam autem referunt distinctionem hanc Pileo & Bulgaro Antiquis interpretibus juris.

19 Cæterum Bartholomæus Camerarius ad *l. Imperialem, §. Præterea Ducatus, libr. 2. feudor.* scribit, ipsa quoque jura feudalia feudi hereditarii meminisse, & de hoc jura esse aperta *in c. 1. Qui successores teneantur junct. c. 1. de successione feudi.* Herman. item Vultei *dict. cap. 8. num. 25 pag. 303.* & Andr.

Kni-

Knichen *Tractat. de vestiturar. pactionibus capit. 2. numer. 5.* divisionem hanc etiam ex jure feudorum rectè sustineri autumant.

20 Meum de hac distinctione judicium ut depromam, liberè sentio, neque nomina quibus partes huius divisionis exprimuntur, satis apta esse ad significandam rem, quam denotant, neque etiam partitionem omnes habere suos numeros, ut logica ratione perfecta & absoluta dici possit.

Ex pacto & providentia feudum haud rectè appellari feudum illud, quod suprà hoc vocabulo definivi, evincitur vel ex eo, quod feudum hoc non semper Domini concedentis, & adquirentis Vasalli pacto constituitur, sed quandoque etiam quodam contractu, qui specie differt à pacto, nec unquam pacti appellatione continetur, ut alibi docui, & tradit etiam Duar. *libr. 2. disputat. anni vers. cap. 8.* item Cujac. *ad l. 1. ff. de pactis* & Iohan Borcholt. *Tractat. de pact. cap. 1. nu. 7.* licet alii aliter sentiant.

Quinimo interdum testamento Domini, aliquando etiam præscriptione constituitur feudum hoc, non pacto.

Denique posito, pacti nomen generale esse, & omnem significare conventionem, qua feudum constitui potest, attamen ad designandam feudi speciem hanc idoneum

ſatis non eſt; quippe cum & hereditarium feudum pacto conſtituatur.

Providentiæ vocem quod attinet, quidam referunt eam ad ſolum Dominum concedentem, quidam verò eam conſiderari volunt reſpectu ſolius legis feudalis. Bartholom. Camerarius verò ad *l. Imperialem, §. Præterea Ducatus, de prohibit. feudor. alienat. per Frid. pag. 764* accipit vocabulum illud de utriuſque & Domini concedentis, & legis feudalis providentia, quaſi & Domini & legis feudalis beneficio feudum hoc non modò ad primum adquirentem, ſed & eius liberos præcipuè maſculos pertineat.

Verumenimverò quia in conceſſione quoque feudi hereditarii ineſt providentia Domini concedentis, ut cuius beneficio feudum hoc ad extraneos quoque tranſit, *Tit. 1. §. Cum verò contractus & §. ſeq. lib. 1. feud. & Tit. 12. lib. 2. feud.* certè vocula hæc ſatis apta non eſt, qua feudi ſpecies hæc deſignetur.

Quod cum ita ſit, non video, qui defendi poſſit feudi huius appellatio iſthæc: quippe cum nomina rerum convenientia & conſequentia ipſis rebus eſſe debeant, Autore Juſtinian. Imp *in §. Eſt & aliud genus, verſ. Sed primus & verſ. ſeq. Inſtitut. de donat.*

Quod-

Quodſi ad logicas etiam leges penſitemus hanc feudi diſtributionem, patebit certè, vitio eam laborare haud levi. *Cic. libr. 1. de officiis*, præterire aliquid in dividendo maximum eſſe vitium ait. Hanc autem diſtributionem non omnibus ſuis partibus conſtare manifeſtum eſt; quippe cum feuda quædam ſint, quæ neque ex pacto & providentia, neque etiam hereditaria dici poſſunt: qualia ſunt feudum gaſtaldiæ, & feudum guardiæ. Huiuſmodi enim feuda neque ad liberos primi adquirentis, neque ad extraneos heredes tranſeunt, ſed tranſacto anno auferri poſſunt *Tit. 2. in princip. & Titul. 11. libr. 1. feudor.* Feudum quoque ſoldatæ morte Domini dantis, & Vaſalli accipientis finitur, *Titul. 10. in fin. lib. 2 feudor.* 21

Cæterum quia uſu recepta eſt hæc diviſio, & partium eius appellationes, à foro eam relegare & rejicere iſthæc nomina qui volet, oleum & operam perderet: proindeque ad ſenſum duntaxat ſpectare ſatius eſt, quam vana nominum vocabula admodum curare *l. pen. §. pen. verſ. Sed ut C. de conſtitut. pecun.* quamvis rerum pulchra nomina multo precio ſint comparanda, ut ſcribit Joan. Andr. ad *c. 1. extra depoſiti*, & Zaſ. *ad Rubr. ff. ſolut. matrim.* 22

23 Non desunt qui feudum ex pacto & providentia elegantiore, & magis convenienti vocabulo insignari putant, si appelletur feudum familiare, sive de familia, Ias. *in prælud. feud. num. 128. Bald. ad l. Cum virum nu. 21. C. de fideicommiss. & Pinel. ad d. l. 1. C. de bonis mater. part. 3. nu. 84.*

Verum & hæc appellatio displicet Marino *Tractat. de generib. & qualitatib. feudor. Tit. 1. num. 5. & seq.* nec mihi ea probatur: eo quod feudum ex pacto & providentia non ad omnes pertinet eos, qui sunt de familia Vasalli, sed liberos tantum ex primo adquirente descendentes, ut suprà ostendi, unde ex ratione eadem nec gentile, nec domesticum rectè appellatur, quamvis hæc nomina quibusdam placeant, Andr. Knichen *Tract. de vestiturar. pactionib. cap. 1. nu. 13.*

24 Rectius autem meo animo diceretur feudum filiale, eò quod ad filios tantum primi adquirentis cæterosque descendentes ipsius masculos, qui & ipsi filii continentur appellatione *l. Filii 48. ff. de verb. sig* pertinet; & quandoque etiam ad filias, si fœmineum sit feudum, aut pacto investituræ pro fœminis etiam adquisitum.

25 Sequitur ut videamus, quibus verborum formulis utrumque hoc feudum constituatur: quo de argumento tot ferè sunt feudistarum opiniones, quot capita ipsorum. Con-

cors

cors quidem opinio omnium est, ex pacto & providentia feudum sequentibus hisce verborum figuris concedi: *Titio, & eius liberis, sive filiis pagum hunc in feudum concedimus: Titio & eius descententibus feudum hoc tribuimus: Titio & familiæ sive posteris eius largimur prædia hac in feudum: Titio & eius proli hunc mansum concedimus in feudum: Titio & omni eius generationi arcem hanc damus in feudum: Titio atq; suis concedimus hoc feudum.*

Omnibus hisce formulis feudum ex pacto & providentia tribui, convenit inter Doctores omnes, ut ostendit Hartman Pistoris *lib. 2. quæstionum jur. quæst. 1. nu. 17. & seqq.* & Herman. Vult. *lib. 1. de feud. capit. 8. num. 28.* Pro certissima enim regula habent, feudum ex pacto & providentia censeri, si in eius concessione heredum nulla facta sit mentio, ut scribit Marinus *Tractat. de generib. & qualitatib. feudor. Tit. 1. numer. 11.* & post eum Henricus à Rosenthal *in Synophi juris feudalis, cap. 2. conclus. 25.*

26 Hanc tamen regulam sub hac moderatione accipiunt, nisi ex quadam circumstantia adpareat feudum esse hereditarium, ut si prędicto aliquo modo feudum sit datum pro precio numerato. Emptum enim feudum pro hereditario haberi feudo autumant Bursatus *consil. 4. nu. 15. & 16. vol. 1.* & Menoch.

consil.

consil. 309. nu. 18. lib. 4. Similiter si prædicta aliqua verborum formula concessum sit feudum ob benemerita, existimant hereditarium esse feudum, eòquòd benemerita sint loco precii, *Natta consil. 674. numer. 14. vol. 4. Menoch. dict. consil. 309. numer. 19. lib. 4. vult. dict. libr. 1. de feudor. capit. 8. numer. 28. pag. 313.* Sed limitationes hæ sint recipiendæ ne ne, patebit ex his, quæ infra de feudo proprio, & improprio dicam.

17 Hereditarii feudi formulam eam esse interpretes aiunt, in qua expressè heredum fit mentio, Thomas de Marinis *in Tractat. de generib. & qualitatib. feudor. Tit. de feudor. hereditar. num. 20.* Paris. *consil. 2. numer. 22. & sequent vol. 1.* Decian. *consil. 58. num. 26. vol. 2* atque hanc certissimam esse regulam tradit Rosenthal. *dict. ca. 2. conclus. 24.*

Et certè feudum hereditarium hac concedi investituræ formula: *Titio & eius heredibus, & cui ipse dederit pagum hunc in feudum concedo*, arguit disertè textus *in Tit. 48. lib. 2. feudor.* idque fatentur etiam Afflict. Rebuff. Bald. Ripa, Alex. Paris. Roland. à Valle, ut dicit Vult. *dict. capit. 8. num. 10.* Similiter idem feudum hac dari verborum conceptione: *Titio & heredibus* 18 *eius quibuscunque arcem illam in feudum concedi-*

cedimus, maxima interpretum pars arbitratur, quos memorat Hartman. Pistoris *dict. libr. 2. quæstion. jur. quæst. 1. numer. 39.*

Verum si in investitura heredum quidem facta sit mentio, sed nulla adposita sint verba generalia & extensiva, certè Interpretum disparia de hoc feudo sunt vota; ut si dictum sit in investitura: *Tibi & tuis heredibus hunc pagum in feudum concedimus.*

Alii etenim existimant feudum hoc ex pacto & providentia esse; alii opinantur esse feudum hereditarium; alii verò putant mixtum esse feudum, ut indicat Hartman. Pistor. *d. lib. 2. quæst. jur. quæst. 1. nu. 42. 43. & 44.* Fachinæ *lib. 7. controvers. jur. cap. 4.* & Herman. Vultej. *dict. cap. 8. nu 30. pag. 315. & seqq.*

Primam autem opinionem autoritate juris feudorum satis subnixam sine hæsitatione affirmo: quippe cum feudi concessio facta pro heredibus etiam Vasalli primi adquirentis eadem sit cum concessione pro filiis cæterisque descendentibus facta. Appellatio enim heredis in nomothesia feudali non quemvis significat heredem, sed filium duntaxat, cæterosque descendentes masculos Vasalli primi adquirentis, textus sunt expressi *in*

Tit.

Tit. 13. §. Etsi clientulus, ibi, eo mortuo sine legitimo herede masculo (quod verbum ita intelligendum est, in feudo) id est sine filio masculo lib. 1. feud. Tit. 34. §. Similiter, vers. Profectò, ibi, ut si habeat sibi suisque heredibus, quod intelligi debet de solis masculis, lib. 2. feudor.

Et licet posteriori hoc loco ipse textus interpretetur heredis nomen non de filiis, sed de masculis. attamen per heredes masculos soli filii, cæterique liberi masculi intelligendi sunt, non extranei heredes, ut arguit nonmodò textus *in dict. Tit. 13. §. Etsi clientulus, lib. 1. feudor.* Sed & textus *in Tit. 19. § ult. ibi, sine filio masculo, junct. vers. Etsi heredem, & Tit. 20. ibi, sine filio masculo, junct. verb sine herede masculo, lib. 1. feudor. Tit. 17. in prin. ibi, qui sibi & heredibus suis masculis, junct. vers. 1. ibi, duobus filiis item ibi, uno filio masculo, & Tit. 18. ibi, vel eorum heredes masculi, junctis vers. seqq. lib. 2. feudor. junct. item Tit. 1. § Cum verò & §§. seqq. lib. 1. feud.* ex quibus locis omnibus satis satisquè evincitur, quod in feudorum libris heredum appellatio significet solos liberos Vasalli primi adquirentis: & masculorum voce fœminæ excludantur. Et quamvis non addatur vocula, *masculus*, attamen tacitè intelligitur, ut testatur *Text. in d. Tit. 34. §. Similiter, §. Profectò lib. 2 feud.*

Quæ

Quæ cum ita se habeant, dubitandum est nihil, quin hisce germanicè conceptis formulis: Für sich vnd seine Mannliche Leibs lehens Erben: Seinen Ehelichen gebornen manlichen Leibs Erben: Seinen rechten leibs lehen Erben: Seinen rechten Manstammes Schilt vnd Helms lehens Erben: Allen seinen Manlichen Leibs lehens Erben/deß namens/Helms Schildts vnd Geschlechts: Für sich vnd seine Mannliche Erben/concedi feudum non hereditarium; cum qualitate hereditaria, licet Hartman. Pistoris id existimet, *libr. 2. quæst. jur. quæst. 3. num. 65. & seqq.* Sed feudum ex pacto & providentia, ut plerique sentiunt feudistæ, quos refert & sequitur Schrader. *Tractat. feudali, part. 2. cap. 3. num. 24.* & plures memorat huius sententiæ patronos Hartman. Pistor. *dict. quæst. 3. nu. 64.* Amplectitur idem hoc pronunciatum Andr. Geil. *lib. 2. obser. practic. obser. 154. num. 20. & 21. &* singulariter Andr. Knichen *Tract. de vestiturar. pactionib. cap. 2. nu. 26. & seqq. & cap. ult.* 28

Non obstat quod jure civili multum interest utrum aliquid concedatur heredibus, an verò liberis, *l. Cum patronus 22. §. Cum libertus, l. ut jurisjurandi 7. § Si liberi; ff. de oper. libert. l. 5. ff. de religios. sumpt. funer. l. Ius familiarium 8. & l. Ius sepulchri 13. C. d. t.* Nam commune jus civile non attenditur in 29

Q feu-

feudis, quando jure feudorum quid specialiter dispositum legimus, *Tit. 1. §. Legum autem Romanarum, lib. 2. feud.*

30 Nihil quoque refragatur, quod objici solet; frustra censeri adpositum heredis nomen, nisi de herede hereditatis allodialis accipiatur. Quia rarum non est, ut in dispositione & negociis hominum aliquid adponatur expresse, quod rei ipsi natura inest *l. 3. vers. Nam licet, Cod. de fideijussorib. l. 3. ubi Doctores ff. de reb. credit. l. 3. ff. de legat. 1.*

31 Unde sufficit, ut expressum sortiatur effectum secundum naturam rei, de qua agitur, *per text. in l. Ex conducto 15. §. Si uno, vers. Sed & si verb. ff. locat.* & sentit. Bald. *ad Rub. Cod. de contrahent. emption. & vendit.* Et juris est certissimi, quod pacta & eorum verba, secundum subjectam materiam & naturam rei, de qua agitur, intelligi debeant *per text. in l. Quoties item sermo 67. ff. de region. jur & l. Stipulatio ista 38. ff. Hi qui, 6. vers. Sed videtur, ff. de verbor. obligation.* & latè ostendit Nicol. Everhard. *in Topicis legalib. in loco à subjecta, materia.*

32 Quin etiam potius admittitur, ut & pacta & verba eorum supervacua sint, & nihil operentur, quam ut contra naturam nego-

negocii; & subjectam materiam ea interpretemur, *per l. Ex conducto 15. §. Si verò vers. sed etsi verbo ff. Locati*, & docet post alios; quos refert & sequitur; Schrader. *Tractat. feudali partic. extra sect. 3. num. 37.*

Cum ergo heredis nomen in feudis significet liberos primi adquirentis masculos; non alodii heredem; ut supra ostedi, certè in concessione feudali ad illos tantum, non etiam ad hos porrigi debet.

Pertinet quoque huc, quod infrequens non est; ut quod rei inest tacitè; id maioris declarationis & dubitationis tollendæ causa exprimatur, *l. Qui mutuam 56. in prin. vers. Etenim ff. Mandati; & l. Quæ dubitationis 81. ff. de reg. juris.* 34

Non obsistit etiam, quod contrariæ opinionis assertores scribunt, heredis appellationem in ipso quidem jure feudali hanc strictam continere significationem: at prolatum hoc nomen ab homine, puta in concessione feudi, & investitura, omnem omninò denotare heredem etiam extraneum. Est enim distinctio hæc planè commentitia, & à veritate juris alienissima: quippe cum heredis verbum etiam in ipsa feudi concessione, & investitura prolatum à Domino dante & Vasallo adquirente; intelligatur duntaxat de liberis ma- 35

sculis Vasalli primi adquirentis, ut disertè arguit textus *in Titul. 13. §. Etsi clientulus & Titul. 20. libr. 1. feudor. & Tit. 17. Titul. 34. §. Similiter, vers. Profectò, libr. 2. feudor.*

35 Postremò non officit sententiæ nostræ, si dicatur, aut rejiciendam esse omnino distinctionem hanc feudi, qua diducitur in feudum ex pacto & providentia & feudum hereditarium, aut hanc esse admittendam sententiam, omne feudum hereditarium esse, in cuius concessione & investitura facta est heredis mentio, ut sentit Hartman. Pistor. *lib 2. quæst. jur. quæst. 1. num. 90* Disiunctum enim axioma illud verum non est, quippe cum hereditarium esse feudum possit, licet sine heredis mentione fuerit concessum, puta his verbis, *Tibi, & cui ipse dederis hunc mansum in feudum concedo, per text. in Tit. 48. lib. 2. feudor.*

Similiter feudum hereditarium est, quando expressè & nominatim est dictum, quod feudum habere debeat naturam bonorum allodialium, ut alienari in quemcunque, & pro arbitrio Vasalli de eo disponi possit, Andr. Geil. *lib. 2. obser. practic. observat. 154. num. ult.*

36 Quæritur & illud, utrum in dubio hereditarium præsumendum sit feudum, an ex pacto & providentia? puta in casu, quo simplici-

pliciter conceſſum eſt feudum, nulla facta mentione vel liberorum vel heredum. Alii hereditarium cenſeri feudum volunt: Alii ex pacto & providentia feudum potius præſumi. Utriuſque opinionis autores & defenſores recitat Menoch. *libr. 3. de præſumpt. præſumption. 94.* & Johan. Borcholt. *in commentar. in conſuetud. feudor. capit. 4. num. 19.*

Vera autem eorum ſententia judicanda eſt, qui volunt non hereditarium, ſed ex pacto & providentia feudum præſumi; tum quia in omni diſpoſitione etiam feudali præſumitur in dubio id, quod eſt de natura rei, non id, quod recedit à natura eius, *per Tit. 1. §. Hoc autem verſ. Niſi ſpecialiter, libr. 1. feudor. Tit. 2. §. Præterea lib. 2. feudor. & l. Si prius, 17. §. 1. ff. de aqua & aquæ pluviar. arcend:* Tum quia feudum hereditarium non eſt, niſi pacto inveſtituræ id fuerit actum: Pacta autem, ut quæ facti ſunt, non præſumuntur, ſed probanda ſunt etiam in feudis *Tit. 4 §. Item ſi Vaſallus, lib 1. feudor. & Tit 2. §. Præterea ſi aliquis lib 2. feudor.* Tum etiam quia contrahentes cenſentur ſe in dubio voluiſſe conformare diſpoſitioni juris, *per c. Cum dilectus extra, de conſuetud.* Juris autem feudalis autoritate feudum regulariter eius eſt naturæ, ut pertineat tantum ad liberos adquirentis maſculos, non etiam ad allodii

heredes extraneos, *Tit. 48. lib. 2. feud.* Has rationes tres ex aliis memorat etiam Hartman Pistor. *lib. 2. quæst. jur. quæst. 1. num 75. 76 77. & 78* & Vult. *lib. 1. de feud. cap. 8. nu. 35. in fine* Mynsing. quoque *cent. 4. obser. 2.* pro hac opinione in Camera judicatum esse affirmat.

37 Non obstat, quod quis in dubio censetur prospicere sibi & heredibus suis, *l. Si pactum 9. ff. de probat. & Tit. 18. lib. 2. feudor.* Hoc enim enunciatum non est Catholicum, & Universale, ut arguit *in d. l. 9. ff. de probation.* particula, Plerunque: Sed verum esse intelligi dicitur, si natura negotii, de quo agitur, non repugnet, ut sentit etiam Jacob. Menoch. *dict. præsumpt. 94. num 4.*

38 Nihil quoque obest, quod feudum in petitionem hereditatis venit, quo argumento utitur Matth. *de Afflict. in prælud. feudor. num. 99.* Hæc enim ratio vera non est, sed procedit tantum quando apparet feudum esse merè & absolutè hereditarium, ut constat ex *Tit. 48. lib. 2. feud.* & scribit Menoch. *dict. præsumpt. 94. nu. 6.*

39 Quærunt & disceptant sollicitè Interpretos de eo etiam; An de hereditario, vel ex pacto & providentia feudo, accipi debeat *Tit. 45. libr. 2 feudor.* ut patet ex Hartmanno Pistor. *libr. 2. quæstion. jur. quæst. 3.* &

2. & Fachinæo *libr. 7. controverſiar. jur. capit. 5.*

Placet autem eorum mihi ſententia qui de feudo ex pacto & providentia interpretantur eum locum. Agitur enim ibi de feudo, quod agnati retinere poſſunt, repudiata Vaſalli defuncti hereditate alodiali, quod de feudo hereditario dici non poteſt, cum pars ſit hereditatis. Et nemo poſſit pro parte hereditatem adire, pro parte verò eam repudiare, *l. 1. ff. de adquir. vel omitt. heredit.*

Non obſtat quod ibidem dicitur, non poſſe filium repudiare patris hereditatem, & in ſolum feudum ſuccedere. Id enim ſingulariter in filio receptum eſt, ut arguit etiam textus *in Titul. 51. §. Filius libr. 2. feudor.*

Et licet filius repudiare non poſſit patris hereditatem, & in ſolum ſuccedere feudum, ex eo tamen confundi non debet hereditas patris cum ipſo feudo.

Reſtat argumenti noſtri pars ultima, de uſu & effectu diſtributionis, qua feudum aliud ex pacto & providentia, aliud hereditarium eſſe dicitur. Uſus autem & effectus illius duabus potiſſimum continetur rebus: Alienatione ſcilicet, & ſuc- 40
ceſſione. De utraque ordine agemus,

& primum de alienatione feudi ex pacto & providentia.

Regulariter quidem liberis hominibus data est potestas alienandi res suas liberè, *l. 2. ff. Si quis à parente manumiss. fuar, l. Qua ratione 9. §. Hæ quoq; ff. de adquir. rer. dom. & §. per traditionem Instit. de rer. divis.* ita ut ne quidem agnationis vel cognationis jure à quopiam prohiberi possit, quo minus de re sua liberè disponat, *l. Datum 14. C. de contr. empt. & vendit.* In tantum ut nec liberi alienationem à parente factam impugnare queant, *l. Eaque à patre 7. C. de restitutionib. militum.*

Quinetiam simplici pacto effici non potest, ne quis rem propriam liberè alienet, *l. pen. ff. de pactis* Verum isthæc regula in feudo ex pacto & providentia non procedit. Hoc enim feudum Vasallus non nisi ex arbitrio & voluntate Domini rectè alienat, *Tit. 5. in fin. Tit. 21. §. Si quis miles, Titul. 13. in prin. Tit. 24. §. ult. Tit. 26. §. feudum ea lege datum, Tit. 38. Tit. 44. Tit. 52. §. Si quis verò, & Titul. 55. §. Callidis, libr. 2. feudorum.*

Ratio autem cur alienare Vasallus feudum non possit inconsulto Domino, hæc est, quod alienatione feudi Vasallus ineptus efficitur ad serviendum Domino, & honor ac decus Domini attenuantur *Tit. 52. vers. Per*

quod

quod vires imperii, & Tit. 55. in princip ibi, unde servitia amittebant, & honor imperii & nostræ felicis expeditionis complementum minuebatur, lib. 2. feud.

Unde contemnere Dominum dicitur Vasallus, quando absque eius consensu feudum hoc alienat: *Titul. 24. §. ult. in fin. libr. 2. feudor.* 42

Præter Domini consensum ad feudi huius alienationem desideratur quoque consensus successorum, puta agnatorum, si feudum sit paternum. *Tit. 39. in prin. lib. 2. feudor.* & licet Vasallus in agnatum suum feudi successorem alienare illud velit, attamen si agnatus ille remotior fuerit, impedire alienatio ea per proximiorem agnatum jure potest, *Tit. 26. §. Titius filios, lib. 2. feud. & Tit. 3. §. Sed etiam res, lib. 1. feudor.* 43

Ratio prohibitæ alienationis inconsultis agnatis factæ hæc est, quod feudum hoc necessariæ subjacet restitutioni, cum ad Vasallum possessorem præsentem pertineat tantum donec ille vivit, eo mortuo agnatus proximus suo jure illud capit, non ab ultimo defuncto, sed potius à primo adquirente, & Domino dante, *Tit. 14. §. Si capitanei, vers. Si verò, ibi, prædicti fratres, vel nepotes, per investituram patris, & avi in beneficium succedunt, lib. 1. feud.* ita ut censeatur illud non tam de novo adquirere, quam jam ante quæ-

 situm.

ſitum ſaltem capere, ut notant Gl. & Dd. *ad Tit. 1. lib. 2. feud.* & tot ſint donationes, quot perſonæ ſuccedentes, ut ſupra in explicatione definitionis feudi ex pacto & providentia oſtendi.

45 Cæterum quæſtio anceps eſt, num integrum ſit patri, ex conſenſu Domini alienare feudum ſuum novum in præjudicium filiorum ſuorum. Plerique affirmant, quos referunt & ſequuntur Schrader. *Tractat. feudal. partic. 7. cap. 7. num. 19* Johan. Borcholt. *in comment. in conſuetud. feudor. cap. 7. part. 2. num. 5.* Hartman. Piſtor. *libr. 2. quæſt. jur. quæſt. 4. numer. 44. & ſequent.* & Fachinæ. *libr. 7. controverſiar. capit. 8.* Multi verò negant, quos recenſet Hartman. Piſtor. *dict. quæſt. 4. numer. 6.* & Fachinæ *dict. cap. 8 verſ. Contrarium ſententiam* Atque horum negantium concluſionem veritati propriorem eſſe intrepidè affirmo; tum quia nulla ordinatio patris in filiorum præjudicium valet in huiuſmodi feudo, ut diſertis verbis cautum eſt *in Tit. 8. §. 1. lib 1. feud.* qui textus ut ſimpliciter & generaliter conceptus eſt de feudo, ita & de omni feudo etiam novo accipi debet, Quod enim ſimpliciter & generaliter dicitur, diſtinctionem non admittit, *l. 3. in fin. ff. de offic. præſid. l. 1. §. 3. verſ. Et eſt*

velatum, ff. de aleatorib. tum quia nusquam in feudorum jure specialiter permittitur patri alienatio feudi novi in filiorum quoque præjudicium. Sine lege autem nihil temerè affirmari debet, *Novel 8. cap. 5. & l. Illam 9. vers. Super stitibus quoque filiis, ibi, eo, quod nulla constitutio super huiusmodi collatione posita esse, C. de collationib.* tum quia feudum etiam novum ex beneficio Domini non ad patrem tantum pertinet, sed etiam ad eius filios, textus est *in Tit. 1. §. Et quia vidimus, lib. 1. feudor.* Ubi jurisconsultus feudista, sic, ait, progressum est, ut ad filios deveniret, in quem scilicet Dominus hoc vellet beneficium confirmare: quod hodie ita stabilitum est, ut ad omnes æqualiter veniat. Pater ergo sua feudi etiam novi alienatione præjudicare filiis non potest, cum nemini invito jus suum auferri possit, *l. ult. ff. de pact. l. Id quod nostrum, 11. ff. de region. jur. l. Si pariter 9. in princip. ff. de liberali causa*: Tum etiam, quia feudum etiam novum ad filios quoque primi adquirentis pertinet, non tantum quia filii sunt, sed maximè quia id velle omninò censetur Dominus, qui feudum dedit, ut disertè arguit definitio feudi proposita sub *Tit. 20. in fin. lib. 2. feudor.* Atque hinc etiam feudum ubique in libris feudorum dicitur beneficium

cium etiam in filiorum personis, *dict. Tit. 1. §. Et quia, vidimus, in fin. Tit. 14. §. 1. libr. 1. feudor. & Tit. 11. Tit. 18. Tit. 23. § ult. Tit. 30. Tit. 45. vers. ubi verò lib. 2. feudor:* Tum postremò quia feudum ad patris primi adquirentis liberos masculos pertinet, ideo etiam quod ipse pater primus adquirens per investituram primam suis quoque liberis masculis illud adquisivit, ut satis superque testatur textus *in Tit. 14. §. 1. vers. Si verò, ibi, Prædicti fratres vel nepotes per investituram patris vel avi in beneficium succedunt, lib. 1. feudor* Quod autem quis non sibi tantum, sed & alii adquisivit, id ei invito postea auferre non potest, *per text. in l. vero procuratori 12. §. Alia causa est, 3. & l. aliud 106. ff. de solutionib. & l. Si post mortem 10. §. ult. ff. de bonor. possessione contra tab.*

46 Nihil obstat huic neganti sententiæ, aut affirmantem confirmat opinionem, quod filii plerunque heredes sui patris sunt, heredes autem factum defuncti impugnare non possunt, *l. Ex qua persona 14. 9 ff. de reg. jur. l. sive possessio 14. C. de evictionib. & l. Cum à matre, 14 C. de rei vindicat.* Hæc enim regula de præstando defuncti facto, nihil in feudo præjudicat defuncti Vasalli filiis, sed præjudicat illis tantum, quatenus sunt heredes, ut disertè arguit textus *in d. l. Cum à matre, 14. ibi, Pro qua portione ad eum hereditas perti-*

pertinet. C. d. t. Filius autem non est in feudo heres (heres inquam allodialis) cum feudum & hereditas opponantur in jure feudali, *Tit. 45. & Tit. 51. §. Filius non potest, lib. 2. feudor.*

Deinde prædicta regula loquitur de successore quatenus lucrum ex persona defuncti capit, ut ostendit *d. l. Ex qua persona ff. de reg. jur.* Sed feudum non est lucrum ex patris persona proveniens: quippe cum sit beneficum, quod ex benevolentia Domini non ad patrem tantum, sed & eius filios pertinet, *dict. Tit. 23. §. ult lib. 2. feud.*

Et licet in ipsa investitura expressè dictum non fuerit, ut feudum ad filios æquè pertineat, id tamen tacitè actum videtur, per text. *in Tit. 1. §. Et quia vidimus, in fin. lib. 1. feudor. & d. Tit. 23. § ult. lib. 2. feudor.* In negotiis autem & illud pro cauto habendum est, quod ex legis dispositione tacitè agi intelligitur, *l. 3. ff. de reb. credit.*

Quocirco Domini consensu, quem ipse accomodat Vasallo feudum novum alienanti, auferri non potest filio feudum per primam investituram benevolentiâ Domini ei adquisitum, cum Dominus non nisi ob culpam Vasalli feudum ei auferre possit, *Tit. 21. de feudo sine culpa non amittendo, lib. 1. feudor.* Ut nec quævis alia donatio temerè revocatur per donatorem, *§. Alia autem donationes, Instit. de donat.* Præ-

Præterea adducta regula de præſtando defuncti facto, locum non habet in eo facto, quod lege eſt prohibitum, ut longo ſtylo oſtendit Menoch. *conſil. 89. num. 5. & ſeqq. uſque ad num. 87.* Sed lege feudali prohibita eſt alienatio feudi etiam novi in filiorum præjudicium facta; *dict. Tit. 8 §. 1. libr. 1. feudor.* Filius ergo Vaſalli impugnare poteſt alienationem feudi novi à patre factam.

Secundò non refragatur, quòd filius non poteſt repudiare patris hereditatem, & ſolum feudum retinere, *dict. Tit. 45. libr. 2. feudor.* Hæc enim ſententia procedit non tantum in novo, ſed & antiquo feudo; ut clarè arguit textus in Tit. modò allegato; cum tamen omnium Interpretum conſenſu feudum antiquum pater nec ex Domini arbitrio alienare in præjudicium filiorum poſſit.

Adhęc nihil obſiſtit, quòd pater licet contrahendo ſibi & ſuis heredibus proſpicere intelligatur; *l. Veteris 13. C. de contrahend. empt. & vendit. & l. Si pactum 9. ff. de pactis;* nihilominus tamen eandem illam rem, de qua contraxit, invitis filiis heredibus ſuis alienare poteſt liberè; *l. 1. §. Si impubere, 21. ff. de collatione bonor. & l. 2 ff. Si quis à parent. manumiſſ. fuer. Mynſing. cent. 4. obſerv. 25.* Alia etenim ratio eſt allodii; alia

item

item feudi. Allodium enim contrahendo aquirit pater liberis suis, ut heredibus, proindeq; ad ipsos liberos nulla ratione pertinet allodium vivo adhuc patre, cum heres viventis non sit, ut patet ex definitione hereditatis *in l. Hereditas, ff. de reg. jur.* & scribit Jas. *consil. 3 num. 3. vers. Secundo principaliter,* Feudum autem patri datum, adquirit confestim & eius filius. Nam statim ex ipsa prima investitura ad filios etiam realiter feudum pertinet, non quidem usu, sed ipso jure, ut evincitur ex *Tit. 14. §. 1. ibi, per investituram patris, lib. 1. feudor.* & maximè ex definitione feudi proposita, *in Tit. 23. §. ult. lib. 2. feudor.* Idque patet etiam ex eo, quod patris ordinatio de feudo, nec inter ipsos filios quidquam valet. *Tit. 8. §. 1.* Unde adquirit filius feudum patri datum, non ut allodialis heres, sed ut filius, *Tit. 1. §. Et quia vidimus, in fin. Tit. 8. §. 1. libr. 1. feudor. junct. Tit. 45. vers. ubi verò, & Tit. 51. §. Filius, lib. 2. feudor.* Appellantur quidem filii Vasalli heredes in feudorum libris; Verum heredis & filii appellatio idem valet in feudis, *Tit. 13. §. Etsi clientulus, lib. 1. feudor. & Tit. 34. §. Similiter vers. Profectò ille, lib. 2. feudor.*

Quartò non impedit negatam sententiam nostram, quod Dominus naturali ratione rem suam liberè alienare potest, *§. Per traditio-*

ditionem, Instit. de rer. divis. & l. Qua ratione 9. § Hæ quoque, ff de adquir. rer. dom. Hoc enim juris pronunciatum vitiatur in re cuius tantum jus utendi fruendi quis habet, ad dies vitæ suæ, ut post mortem eius ipso jure ad alium pertineat, *l. uxor patrui 20. C. de legat. l. Quod in rer 24. §. 1. ff. de legat. 1.* Feudum autem possidet Vasallus jure tantum usus fructus, idque à morte Vasalli ipso jure ad eius filium pertinet, *per text. in Tit. 23. §. ult. ibi, usufructus verò libr. 2. feudor.* Patet ergo Vasallus in filiorum præjudicium alienare non potest feudum.

Præterea nihil officit nostræ sententiæ, quod contrariæ opinionis Autores, & patroni aiunt, jura feudalia de prohibita feudi alienatione in præjudicium successorum loqui tantum de feudo antiquo, sive paterno, non de novo feudo, ut *in Tit. 39. de alienatione feudi paterni, lib. 2. feudor.* Etsi enim titulo illo, & quibusdam aliis agatur de feudi antiqui alienatione, attamen textus *in dict. Tit. 8. § 1. lib. 1. feudor.* ut generalis, de feudo quoque novo conceptus est: & quæ ratio est prohibitionis in feudo antiquo, ratione agnatorum, eadem etiam est ratio prohibitæ alienationis in feudo novo, ratione filiorum, hæc scilicet, quod Vasallus feudum possidet jure tantum usus fructus ad dies saltem vitæ suæ, quo mortuo, feudum ex benevolentia

Domini concedentis per primam investituram ad successorem jure proprio, & æquè principaliter pertinet sive filius sit, sive agnatus ex primo adquirente descendens, *dict. Tit. 23. §. ult. vers. usufructus verò, libr. 2. feudor. Tit. 1. §. Et quia vidimus, & Tit. 13. §. 1. ibi, per investituram patris & avi, lib. 1. feudor.*

Quod autem quis jure tantum usufructus possidet, id alienare in præjudicium alterius non potest, ut paulò ante ostendi ex *l. uxor. patrui 20. C. de legat. & l. Quod in. rer. 24. §. 1. ff. de legat. 1.* Nemo item quod meum est, & ad me jure proprio pertinet, me invito alienare potest *Tot. Tit. C. de reb. alien. non alienand.*

Sextò non decerpit quicquam veritati conclusionis nostræ negatæ, quod feudum solius Domini & Vasalli primi adquirentis consensu constitutum est, resque omnes eodem modo amittuntur, quo adquisitæ sunt, *l. Quemadmodum. 9 ff de adquir. vel amitt. poss. §. ult. Instit. quib. mod. toll. oblig. & l. Nihil tam naturale 35. ff. de reg. jur.* Etsi enim adquisitum sit feudum solius Domini & Vasalli primi adquirentis consensu: attamen adquisitum est Domini benevolentia & lege feudali, non soli primo adquirenti patri, sed & eius filiis, quibus æquè principaliter datum est, ut jam sæpè ostendi ex *Tit. 1. §. Et*

quia vidimus, in fin. & Tit. 13. §. 1. lib. 1. feud. & Tit. 23. § ult. lib. 2. feudor. Jus autem adquisitum alicui non potest eidem invito rursus auferri, sive quæsitum sit re, *l. Id quod nostrum 11. ubi Dec. & alii ff. de reg. jur. l. ult. Cod. si contra jus sive utilit. pub. l. Si pariter 9. in princip. ff. de liberali causa l. ult. ff. de pactis c. Quæ in ecclesiar. extra de constitutionib.* sive spe sit quæsitum, *l. 2. ff. de natalib. restit. l. In item 9 ff. de aqua & aqua plu. arcend.* Schrader. *Tractat feud. part. 9. cap. 1. numer. 18.*

Confert huc & illud, de quo etiam antea, quod feudi datio est donatio, & quidem donatio etiam filiis facta, cum tot contineat donationes, quot sunt personæ successorum, ut docui supra. Donatio autem temerè revocari neutiquam potest, *§. Aliæ autem donationes, Instit de donat.* Ergo Domini consensu auferri feudum filiis, alienatione patris non potest.

Nec etiam imminuit definitionem nostram negantem, quod pater feudum novum videtur mortis causa donare filiis suis; siquidem ordine successivo intelligatur feudum patri, & eius filiis datum. Falsum etenim est, quod dicitur ex mortis causa donatione patris feudum ad eius filios pertinere; quippe cum, ut pater, sic & filii ex solius Domini bene-

benevolentia, ac donatione feudum habeant, *per text. in Tit. 23 §. ult. lib. 2 feudor.* tum etiam beneficio legis feudalis, *Tit. 1. §. Et quia vidimus in fin. lib. 1 feudor* Ordo autem ille successivus spectatur non in feudo ipso, sed in eius tantum usu & possessione. Usus & possessio pertinet ad solum patrem, quandiu vivit; jus ipsum verò sive feudum ipsum ad patrem & eius filios pariter pertinet. Usum & possessionem nanciscuntur filii mortuo demum patre, atque ei succedendo retinere feudum dicuntur, *Tit. 36. lib. 2 feudor. Tit. 1. in prin. Tit. 6. §. Multus, lib 1. feudor.*

Octavo nihil obstat, quod is, qui causa fuit juris in spe quæsiti etiam alteri, id auferre eidem rursus possit, *l. 3. ff. de servis exportand. & l. 1. Cod. si mancipium fuerit alienatum*, Hæc enim juris sententia de eo, ut adductæ leges arguunt, accipienda est, ex cuius solius arbitrio alicui jus in spe quæsitum est. Sed feudum non in spe, sed in re ab initio quæsitum est, ut patri sic & eius filiis; ut jam ante docui; & quæsitum quidem est filiis non arbitrio solius patris, sed potius benevolentia & liberalitate Domini, ut similiter prius ostendi.

Porrò nihil obest enunciato nostro neganti, quod patronus liberti operas, cui vult

ex liberis suis, assignare potest *l 1. ff. de assignandis libertis*, etiamsi patronatus jus ad omnes liberos pertineat, *l ut jurisjurandi, 7. §. Si liberi, ff. de operis libertor*: Nam primò à juris communis dispositione haud rectè argumentamur ad causam feudalem, quando specialiter quid jure feudali cautum scimus, textus est expressus in *Tit. 1. in princip. vers. strenuus autem, lib. 2. feudor.* Sed feudorum jure non potest pater feudum etiam novum uni ex filiis concedere, sed omnibus id æqualiter relinquere tenetur, *Tit 8. §. 1. lib. 1. feudor.* Deinde jus patronatus vivo patre ad eius filios non pertinet; siquidem patris libertus, non sit libertus filii, vivo adhuc patre, *l. Filiusfam. 13. ff. de jure patronatus*, sed eo tandem mortuo, *l. Cum patronus 23. §. 1. ff. de oper. libentor.* At feudum etiam novum, vivo quoque patre ad filios eius pertinet, non quidem usu & possessione, sed re, & jure ipso, ut argumentis ostendi supra.

Decimo non adversatur, quod pater quando sibi, & filiis suis aliquid comparat, donare censetur ipsis filiis, *l Cum hic status 32. §. 1. ff. de donat. inter vir & uxor.* quam donationem ut profectitiam revocare potest, etiam tacitè *l Filia, C. de famil. encisc. l. 2. C. de in offic. donat.*

Quan-

Quando enim pater ſibi & filiis ſuis feudum comparat nulla patris, ſed Domini ſolius liberalitate aç benevolentia feudum hoc ut ad patrem, ita ad eius quoque filios pertinet, *dict. Tit. 23. § ult. libr. 2 feudor.* Cum una inveſtitura & patri. & filiis tribuatur ut poſt mortem patris illud filii non adquirant primum, ſed primâ inveſtiturâ ad quiſitum capiant ſaltem, *dict. Tit. 13. §. 1. ibi, per inveſtituram patris, lib. 1. feud.*

Nullam inſuper vim infert noſtræ ſententiæ, quod pater delinquendo præjudicat etiam filiis ſuis in feudo, *Tit. 26. §. Si Vaſallus culpam, & Tit. 31. li. 2. feud.* A delicto enim ad alienationem hic firmiter & neceſſariò arguere non poſſumus: quippe cum delictum ſemper ſit delictum: alienatio verò rerum non ſit per omnia delictum: ſiquidem regulariter jure ſit permiſſa, & in feudo etiam licitè fieri poſſit Domino & ſucceſſoribus conſentientibus. Cum ergo eadem ratio non ſit delicti & alienationis, ceſſat iſthęc arguendi ratio, ut docet Everhard. *in Topic. lega'ib. in locò à contractib. ad delicta numer. 3.*

Quod ſi argumentum hoc in propoſito quicquam valeret, ſequeretur inde, quod etiam alienando cum Domini conſenſu feudum antiquum præjudicare pater filiis ſuis poſſit: quippe cum & delinquendo etiam in

veteri feudo pater filiis suis præjudicet, *per text. in d. Tit. 26. §. Si Vasallus culpam, & Tit. 31. lib. 2. feudor.* Sed feudum antiquum consensu Domini alienando pater filiis suis non præjudicat, ut patet ex *Titul. 26. §. Titius filios, in prin. & vers. Quo d. Si Titius, lib. 2. feudor.* & sentiunt ita communiter feudistæ, quos refert Hartman. Pistoris, *lib. 2. quæst. jur. quæst. 13. numer. 18. vers. Multò tamen crebrior, &c.* quamvis idem Hartmannus eadem illa quæstione, variis argumentis motus, dissentiat.

Postremo, quod aiunt contrariæ opinionis patroni, in jure feudorum nusquam fieri mentionem filii revocantis alienationem feudi à patre factam: semper autem fieri mentionem agnatorum, id certè eis omnino dandum non est. Eo ipso enim, quod feudorum jure disertè traditur, nullam patris ordinationem in feudo manere, aut quicquam valere, *dict. Tit 8. §. 1. libr. 1. feudor.* satis superque significatur, alienatum à patre feudum (siquidem alienatio isthæc nulla sit) revocari per filios posse.

Hartmannus quidem Pistoris *dict. lib. 2. quæstion. jur. quæst. 4. numer. 64. & quæst. 13. num. 62.* citatum modò locum interpretatur de ordinatione patris, absque consensu Domini facta: Verum hæc interpretatio ipsimet Hartmanno adversatur: siquidem

lib. eod. quæst. 17. numer. 16. apertè ſcribat, quod feudum ſine Domini conſenſu alienatum, ipſis etiam filiis adimatur, qui nullo modo aſpirare ad illud valeant: Cum tamen textus *in dict. Tit. 8. §. 1. lib. 1. feudor.* disertè teſtetur, quod feudum ad filios Vaſalli defuncti pertineat, non obſtante ulla patris ordinatione.

Et quia idem textus generali ſive univerſali utitur verbo, *nulla*, certè ſive cum, ſive abſque Domini conſenſu fiat patris ordinatio, nihil ea præjudicat filiis.

Quod ſi cum Domini conſenſu facta ordinatio patris noceret filiis, vera eſſet propoſitio hæc; Quædam patris ordinatio, de feudo Valet, ut ordinatio cum Domini conſenſu facta. Sed hæc particularis propoſitio, & illa Juriſconſulti generalis, ſimul conſiſtere non poſſunt. Sunt enim contradictoriæ. Impoſſibile autem eſt, ſecundum dialecticos, duas contradictorias ſimul veras, aut ſimul falſas eſſe. Cum ergo vera ſit Juriſconſulti propoſitio illa generalis, ſiquidem juris ſit feudalis, ſequitur alteram, particularem ſcilicet, eſſe falſam.

Notum quidem eſt, quod generi per ſpeciem derogetur, *l. in toto 8. ff. de reg. jur.* Verum in feudorum jure nuſquam cautum legimus, ꝙ patris ordinatio de feudo cum Domini conſenſu facta noceat filiis. Quocirca

generalis illa definitio de nulla patris ordinatione generaliter accipienda, etiam de ea, quæ cum Domini fit consensu.

47 Successionem in hoc feudum quod attinet, ex prædictis abundè evincitur, quod feudum ex pacto & providentia eius est naturæ, ut succedant in illud liberi tantum, & quidem omnes liberi ex primo adquirente descendentes, cuiusque gradus, sive ordinis fuerint, *Tit. 1. §. Et quia vidimus, in fin. Tit. 8. §. 1. lib 1. feud Tit. 11. §. 1. & Tit. 50. lib. 2. feudor.* liberi, inquam, masculi, non etiam fœminæ; nisi pacto investituræ id actum sit, ut & illæ deficientibus masculis succedant; nisi item feudum sit fœmineum, *dict. Tit. 8. §. Filia verò, lib. 1. feudor. Tit. 30. & dict. Tit. 50. in prin. lib. 2. feudor.* Multò minus ergo in hoc feudum succedunt extranei, ut sunt frater Vasalli, cæterique agnati, quique nullo sanguinis jure defunctum Vasallum contingunt, *Tit. 1. §. Cum verò Conradus, vers. sin autem unus, lib. 1. feudor. & Tit. 12. libr. 2. feudor.*

Succedunt quidem in feudum ex pacto & providentia antiquum sive paternum etiam agnati, sed illi tantum agnati, qui ex primo adquirento descendunt, *Tit. 11. §. Hic verò deficientibus, vers. Quod ita & dict. Tit. 50. §. Paternum, lib. 2. feud.* qui succedunt non tàm ultimo defuncto, quàm ipsi primo ad-

quiren-

quirenti, *Tit. 13. §. 1. ibi, Per investituram patris, & avi, lib. 1. feudor.* proindeque tanquam liberi primi adquirentis, *dict. Tit. 11. §. His vero, & dict. Tit. 50. §. Paternum, lib. 2. feudor.*

Ceterum longè alia cõditio est feudi merè & absolutè hereditarii. Poteſt enim Vaſallus hereditarium feudum quovis alienationis titulo ad quemvis transferre, *textus est in Tit. 48. lib. 2. feudor.* 48

Sed quæſtionis eſt, utrum feudi huius alienatio permiſſa ſit Vaſallo in ultimo tantum elogio, an verò etiam inter vivos? Utramque alienationem in Gallia permiſſam eſſe Vaſallo Doctores affirmant, quos refert Andr. Knichen *Tractat. de vestiturar. pactionib. cap. 5. nu. 17. & 18.*

Sed communi feudorum jure eam duntaxat huius feudi alienationem Vaſallo eſſe liberam, quæ fit in ultimo elogio, tradunt feudiſtæ, neque opus hic eſſe Domini conſenſu, niſi extraneo per ultimam voluntatem detur, Schrad. *tractat. feudali part. 7. capit. 2. num. 44.* Inter vivos autem non niſi ex Domini conſenſu haud rectè alienari hoc feudum ſentiunt, quos referunt & ſequuntur, Hartman. Piſtoris *lib. 2. quæst. jur. quæst. 1. num. 58. 81. 92. & 98.* Herman. Vultej. *lib. 1. de feud. cap. 8. nu. 30.* Andt. Knichen *dict. ca. 5.*

num. 21. & 22. & Dominus Obrechtus *in disputat. feudal. 2. thesi, 195.*

Ceterum opinionem hanc à veritate prorsus alienam esse in feudo merè & absolutè hereditario, arguit textus expressus *in dict. Tit. 48. ibi, Etiam sine voluntate Domini alienare, lib. 2. feudor.*

Quod si feudum hoc judicetur ut res allodialis, etiam ex sententia Hartmanni Pistoris *dict quæst. 1. num. 58.* in tantum, ut Vasallus alienando hoc feudum agnatis suis præjudicare possit, qui jus revocandi alienatum feudum habent nullum, ut volunt Doctores, quos probat Hartman. Pistoris *dict. libr. 2. quæstion. jur. quæst. 14. num. 1. & dict. quæst. 1. num. 58.* certè non video, cur feudum hoc, etiam quod ad Dominum attinet, allodii jure censeri non debeat, ut liberè Vasallus etiam sine Domini consensu alienare illud possit; maximè cum in præjudicium agnatorum Domini consensus nihil operetur in feudi alienatione, *Titul. 39. in princ. lib. 2. feudor.*

49 Quod ad feudum, quod vocant mixtũ, attinet, dispares Interpretum sunt opiniones, an possit ex consensu Domini in successorũ præjudicium alienari, necné; quas opiniones diligenter & accuratè examinat Hartman. Pistoris *dict. lib. 2. quæstion. jur. quæst. 14.* Verum quia feudum illud, quod mi-

xtum

xtum appellant, nullam continet in se hæreditariam qualitatem, sed per omnia feudum est ex pacto & providentia, ut suprà certis argumentis manifestum feci, feudum hoc ne quidem cum Domini consensu in agnatorum dispendium alienari per Vasallum potest, *per text in Tit. 39. libr. 2. feudor.*

50 Ut alienari licitè inter vivos mere hereditarium feudum est, ita multo magis in ultimo quoque elogio feudum hoc Vasallus similiter absque Domini consensu in quemcunque vult, rectè jureque transfert, *per text. in dict. Tit. 48. libr. 2. feudor.* Quæ enim licentia inter vivos alicui data est, eadem illi morienti adimi non debet, *Titul. Institut. de lege Fusia Caninia tollend.* Et testandi facultatem de hoc feudo competere Vasallo communiter, sentiunt Doctores, quos refert & sequitur Hartman. Pistoris, *lib. 2. quæstion. jur. quæst. 1. numer. 61.* Hinc quoque idem feudum ad extraneos transit heredes, ut rectè existimant, quos recenset Idem Hartman. Pistoris, *dict. quæstion. 1. nu. 43.* & Andr. Knichen *Tractat. de Vestiturar. pact. cap. 5. num. 46. & 47.* ac venit feudum hoc in petitione hereditatis, & una cum fideicommisso universali transit ad fideicommissarium, & imputatur in legitimam, ut similiter communi judicio sentiunt

Inter-

Interpretes, quos memorat idem Hartman. *dict. quæst. 1. num. 62. 63. & 64.*

51 Qui autem feudum hoc merè hereditarium obtinere vult, heres defuncti Vasalli esse cogitur. Unde exheredatum non succedere in feudum hoc existimat Hartman. Pistor. *dict. quæst. 1. nu. 68.*

52 Sed quæritur, sufficiatné, si in allodialibus tantum heres sit, an verò in ipso quoque feudo heres esse teneatur? Et licet non desunt qui autumant, satis esse, si feudi successor sit heres tantum in allodio, quos exhibet Hartman. Pistoris *dict. quæst. 1. num. 49.* attamen alii, quos refert & sequitur idem Hartman. *in eadem quæst. 1. num. 65. & 70.* tum etiam *quæst. 2 num. 20.* existimant in ipso quoque feudo ut heres sit, qui id adquirere vult, necessum esse: quam sententiam verissimam judico, hac ratione motus, quod merè hereditarium feudum eodem censetur jure, quo allodium, & pars est hereditatis allodialis, ut supra ostendi. Nemo autem partem hereditatis adquirere, & partem alio non hereditario jure obtinere potest. *l. 1. & l. 2. ff. de adquir vel omittend. heredit.*

Controversum est & illud, an sufficiat, ut is, qui hereditarium obtinere vult feudum, heres sit primi adquirentis: an verò heres esse debeat ultimò defuncti Vasalli? Prius probatur Interpretibus nonnullis, quos memo-

memorat Hartman. Pistoris *dict. quæstion. 1. num. 51.* Posterius communiter aliis placet: quos recenset & sequitur idem Hartman. *dict. quæst. 1. num. 72.* Atque horum sententię lubens subscribo. Cum enim feudum hereditarium sit pars hereditatis allodialis, & quam primum successor adiit hereditatem, non sit amplius hereditas defuncti, ut quæ effecta fuit patrimonium successoris, *§. 1. vers valde enim, Instit. Quib. ex caus. manumitt. non licet, & l. Primo gradu, 23. Quæ in fraudem creditor* certè non nisi ultimò defuncti hereditas considerari potest: idquod post alios sentit quoq; Andr. Knichen *Tract. de investiturar. pactionib. cap. 5. num. 58. & 98. & seq.*

Venit in quæstionem & illud, utrum Vasallus, qui in hereditarium succedit feudum, universalis debeat esse heres, an verò sufficiat, si hæres sit particularis? Universali tantum, non etiam particulari hæredi hoc feudum esse tribuendum, sentiunt communiter Doctores, quos citat Hartman. Pistoris *dict. quæst. 1. numer. 66.* & Andr. Knichen *dict. Tractat. de investitur. pactionib. cap. 5. 56. & seqq.* quorum opinionem hanc probo quidem in eo, qui ex re certa heres propriè non sit, sed legatarius *l. Quotiens 13. C. de heret. instit.* Verum in eo, qui ex certa hereditatis parte scriptus est heres, neutiquam probo. 54

Cum

Cum enim hereditarium hoc feudum patrimonii allodialis pars quædam sit, illiusque patrimonii heredes possint esse plures, atque ita particulares; *§. Si plures instituantur heredes, Instit. de hered. instit. & l. Interdum 12. ff. eod. tit.* non video cur particularis hæres ad feudum hoc admitti non deberet: siquidem quo casu particularis est hæres; omnes heredes sint particulares, nullus universalis; feudum tamen hoc, ut pars hereditatis, heredem ut habeat, necesse sit.

55 Quid verò censendum de eo feudo, cui ea per investituræ pactum adposita est conditio, ut successor feudi, si illud obtinere velit, etiam heres sit Vasalli, in cuius locum succedit, nunquid feudum hoc etiam alienabile est, & transitorium ad omnes heredes, etiam extraneos? Feudum hoc hereditarium esse nego. Est feudum ex pacto & providentia, etiamsi propter pactum illud successor heres esse in allodio defuncti Vasalli teneatur, cum tenor investituræ, qui non est contra feudi substantiam; vel inseparabilem eius naturam, servandus sit, *Tit. 1. §. Præterea si aliquis tenor, lib. 2. feudor.* Et quoties feudum in uno alteratur, naturam suam propriam in cæteris retinet, *Tit. 48. vers. sed qualitercunque, ubi feudistæ, lib. 2. feud.* Unde pactum illud non facit feudum alienabile, vel transitorium ad omnes heredes.

Move-

Moveri hoc loco & illa poteſt quæſtio controverſa: An filiæ ex hereditario feudo petere poſſint legitimam. De qua quæſtione vide Hartman. Piſtor. *quæſt. 38. numer. 26. & ſeqq.*

Eſt & illa ex adjunctis feudi diviſio uſitatiſſima, qua feudum diducitur in proprium & improprium feudum. Cui diviſioni poſitum eſt fundamentum *in Tit. 2. §. 1. ibi. nomine proprii feudi, lib. 1. feud.* Illud rectum, hoc non rectum appellari videtur feudum *in Tit. 33. lib. 2. feud.* 57

Eſt autem proprium feudum, quod communem & conſuetam feudi rationem ſive qualitatem continet, *Tit. 2. §. Præterea, ibi, Præter communem feudi rationem lib. 2. feud.* quæ communis ratio & qualitas in feudorum jure propria feudi natura dicitur, *Titul. 48. lib. eod. feud.* eo, quod lex feudalis ingenuit ipſi feudo eam qualitatem, unde proprium ut ſit feudum, duæ res deſiderantur maximè; prior eſt, ut lege feudali ipſa qualitas feudo ſit ingenita; poſterior ut qualitas ea ſit communis, id eſt uſitata & conſueta in ipſis feudis. 58 59

Iſthæc autem naturalis & communis, ſive conſueta feudi qualitas conſiſtit variis in rebus, puta, ut conſtituatur feudum in re immobili, aut ea quę rei immobili connumerari ſolet; ut item proprietas rei feudalis ad 60

Domi-

Dominum pertineat, usufructus verò ad Vasallum: tum ut Vasallus Domino servitia præstet: ac perpetuum sit feudum, non temporale: & succedant in illud liberi tantum, & quidem liberi masculi, non fœminæ, non item extranei heredes *Tit. 23. §. ult. libr. 2. feudor.* proindeque nec agnati, nisi ex primo adquirente descendant. *Tit. 8. 9. ult. libr. 1. feudor. Tit. 11. § His verò Tit. 31. §. Paternum, vers. Ex latere omnes, & Tit. 50. lib. 2. feudor:* Ut item feudum per investituram constituatur, *Tit. 25. in prin. libr. 1. feudor. Tit. 1. in fin. lib. 2. feudor.* Ut Vasallus in investitura juramentum fidelitatis præstet, *Tit. 3. §. ult. & Tit. 24. §. Est & alia, lib. eod. feudor* Ut feudi alienatio non nisi consentiente Domino fiat, *Tit. 9. Tit. 42. Tit. 52. Tit. 55. lib. 2. feudor.:* & si paternum sit feudum, alienationi eius agnati quoque consentiant, *Tit. 39. in prin. lib. eod. feudor.* tum etiam ut feudum non nisi culpa Vasalli amittatur, *Tit. 7. Tit. 21. lib. 1. feud:* tum postremò, ut Domino etiam invito reddi possit, *Tit. 28. & Tit. seq. in fin. lib. 2. feudor.*

6 Improprium feudum est, quod communi & consueta quadam feudi ratione sive qualitate caret. Eiusmodi est feudum fœmineum, ut quod etiam ad filias pertinet, deficientibus filiis, *Tit. 30. & Tit. 50. in prin. lib. 2. feud.* Feudum item guardiæ, & gastaldiæ feudum, siqui-

ſiquidem anno finiuntur *Tit. 2. in prin. & Tit. 11. lib. 1. feudor.* Feudum habitationis, ut quod morte Vaſalli finitur, *Tit. 105. in extraord. cap.* Feudum ſoldatæ, cum morte Domini, item morte Vaſalli finiatur, *Tit. 10. §. pen. verſ. Morte enim lib. 2. feudor.* Feudum item de Camera, & feudum de Cavena, ſi in ſoldatam fuerint conceſſa: ſiquidem hoc caſu morte Domini, ut & Vaſalli morte finiantur, *per dict. Tit. 10. § pen verſ. Morte enim, lib. 2. feudor.* tum etiam feudum francum, pro quo nulla ſervitia Domino præſtantur, *Tit. 23. in fin. lib eod feudor. & Tit 104.* feudum item, quod alienari in quemvis poteſt, etiam invito Domino invitis quoque agnatis, *Tit. 48. lib. 2. feudor.*

Sed quæritur de feudo empto, ſitné proprium vel improprium? Plerique impropriis adſcribunt feudis, in quorum etiam numero ſunt Herman. Vult. *lib. 1. feudor. cap. 8. num. 45.* & Dominus Obrechtus *diſputat feudal. 3. theſi 297.* 62

Verum ab hac opinione cum Sonsbeckio *part. 2. nu. 8. & ſeqq.* planè ſum alienus: eo quod & emptum feudum omnem feudi proprii qualitatem naturalem obtinet, ad quam ſaltem accedit id, quod pecunia emitur.

Nec obſtat, quod feudum proprium dicitur beneficium *in d. Tit. 23. §. ult. lib. 2. feud.* Nam & emptum feudum appellatur benefi-

cium *in Tit. 20. ibi, vel nisi beneficium de communibus bonis fuerit emptum, lib. 1 feud.* quo facit etiam textus *in l. 3. in fin. ff. de obsequiis parentib. & patronis præstand.*

Neque refragatur argumentum Domini Vultej, quo vult, si feudum emptum proprium esset feudum, necesse esse, ut feudum semper ematur. Non enim volo, quod emptio sit de natura feudi propria: sed hoc volo, quod ipsa emptio non absorbeat ea, quę sunt de feudi natura propria, sed illis salvis duntaxat accedat. Si nihil decerpit naturæ feudi proprii, certè nulla causa est, cur feudum hoc negetur proprium: siquidem proprium dicatur ex eo, quod propriam feudi naturam obtinet, *Tit. 43. lib. 2. feud.* Denique nihil adversatur textus *in Tit. 27. in princ. vers. Feudum enim, lib. 1. feudor.* Est enim de casu, quo feudum constituitur nullum; non quidem ob pecuniæ interventum: siquidem feudum emi possit, *Tit. 16. Tit. 20. Tit. 29. libr. 1. feudor. & Titul. 12. libr. 2. feudor.* Sed quod contra feudi substantiam agit is, qui mutua pecunia data, & pignore accepto paciscitur cum debitore, ut nisi statuto tempore pecunia reddatur, rem pignori datam creditor in feudum retineat. Contra feudi, inquam, substantiam est pactum illud; quippe cum Vasallus hic fidelis esse Domino dici non possit, qui ipsum necessitate pecu-

pecuniæ accipiendæ pressum, eo cogit, ut patrimonium suum rei propriæ amissione invitus diminuat, *Tit. 6. vers. utile, ibi, Ne sit ei in damno de possessionibus, & Tit. 7. vers. Etsi contigerit, lib. 2. feud.*

Fidelitas, quæ est de feudi substantia, requirit & illud, ut Dominum suum Vasallus honore & amore afficiat; *dict. Tit 5. in fin. ibi, eius rectum honorem custodire; & dict. Titul. 7. vers. Ego juro; ibi, vel quod tu amittas aliquem honorem. junct. Tit. 22. vers. Curia, cuique salva reverentia, lib. 2. feudor.* Qui autem Vasallus Dominum suum in necessitate pecuniæ accipiendæ constitutum eo adigit, ut is invitus rem suam dimittat; dici neutiquam potest honore & amore ipsum prosequi; *dict. Tit. 27. in fine princ. lib. 1 feudor.*

In quæstionem vocatur & illud, sitne proprium vel improprium feudum, quod vocant conditionatum, ut quod ad certum aliquod servitium est datum, *Tit. 75. in extraord. cap.* Cuiusmodi est feudum castrense. Burglehen/ eo pacto datum, ut Vasallus quoddam Domini Castrum defendat, Schrad. *Tractat. feudal. part. 2. capit. 4. numer. 17.* Item feudum aulicum Hofflehen/hoc tenore concessum, ut in Aula Domini fungatur Vasallus munere præfecti aulæ; dapiferi, 64

pincernæ, Schrader. *dict. cap. 4. numer. 54.* Tale aliquod feudum improprium esse feudum communiter feudistæ sentiunt, Schrader. *Tractat. feudal. partic. 2. capit. 4. num. 12.* Herman. Vult. *lib. 1. de feudor. capit. 8. num. 49.*

Verum Sonsbeck. *in Commentar. in usus feudor. part. 3. numer. 40.* propriis connumerat feudis.

Communem opinionem judico veram, si unum illud insolitum in investitura expressum servitium debeat Vasallus, non etiam cætera usitata servitia: quippe cum feudi natura in servitiis sit alterata.

At Sonsbeckii sententiam procedere arbitror, si præter illud insolitum servitium Vasallus insuper ad cætera usitata & consueta obligatus maneat servitia. Cum enim feudum suam nihilominus & in cæteris servitiis præstandis retineat naturam propriam, ut evincitur ex *Tit. 2. §. Præterea, lib. 2. feudor.* & docet post alios Schrader. *dict. part. 2. cap. 4 num. 15.* nihil est cur proprium hoc esse feudum negetur.

64 Sed non incommodè quæri hoc loco potest, an Vasallus in casu, quo ad certum aliquod in investitura definitum obstrictus est servitium, censeatur in dubio ad cætera etiam usitata & naturalia obligatus servitia? Aientem sententiam probare videtur textus

in

in dict. Tit. 2. §. Præterea, lib. 2. feudor. Negantem verò tueri censentur alia argumenta: ut sunt, quod expressum cessare facit tacitũ, *l. Si cum dotem 22. in prin. ff. Solut. matr. l. Cum ex filio 39. §. Filio, ubi Bart. & alii, ff. de vulg. & pupil. substit. l. ult. C. de pactis convent. l. Maritus 21. vers. Sin autem, Cod. de procurat. l. Cum de lanionis 18 §. Cui fundum 11. & §. pen. ff. de instruct. vel instrument. leg.* quodque unius inclusio, est exclusio alterius, *l. Cum Prætor, 12. in prin. ff. de judic. Menoch. consil. 158. num. 29. lib. 2. Corset. in Singularib. in verb. Argumentum:* quod denique expressio supervacua esse non debet, *arg. l. Si quando 112. in prin. ff. de legat. 1.* Et sanè conclusionem negantem amplectuntur feudistæ, quos referunt & sequuntur Schrad. *dict. part. 2. cap. 4 num. 14 & part. 6. cap. 6. num 4.* & Johan. Borcholt. *in commentar. in consuetud feudor cap. 1. num. 28* eamque propter adductas rationes admittere nihil dubito: nisi in casu, quo insolitum illud servitium leve est, veluti comitari uxorem Domini in templum euntem, de quo servitio loquitur textus *in dict. Tit. 2. §. Præterea, lib. 2. feud.*

Est & illud hic notandum, quod feudum in dubio præsumitur proprium feudum, *per text. in Tit. 2 §. Præterea, ubi Bald. Alvarot. & alii lib. 2. feudor. Tit. 1. §. Hoc autem, ibi,* 65

nisi specialiter dictum, Tit. 4. §. Item si Vasallus, lib. 1. feudor. & Dd. quos citat. Menoch. de præsumpt. lib. 3. præsumpt. 95. & vult lib. 1. de feud. cap. 8. nu. 52.

66 Similiter observanda est hoc loco regula hæc: quod licet feudum naturam suam propriam in uno atque altero deposuerit, in cæteris tamen eam retinere dicatur, *per text. in Tit. 48. vers. Sed qualitercunque ubi Doctores lib. 2. feudor. Menoch. dict. præsumpt. 95. num. 2. & consil. 400. numer. 5. & 6. & consil. 600. num. 16.* Schrader. *tractat. feudal. part. 2. capit. 4. numer. 73. & seq.*

67 Est & alia ex adjunctis feudi distributio, quâ secatur in ligium & non ligium feudum, *per text. in Tit. 99. in extraord. capit.* quam divisionem tamen, licet communiter receptam, planè evertere conatur Hotoman. *in disp. de feudis cap. 7.*

68 Ligium autem dictum putant inde, quod arctius liget Vasallum, quàm aliud feudum, quod non est ligium. Definiunt enim ligium feudum, ex quo Vasallus pacto investituræ exigente fidelitatem Domino suo contra omnem hominem nullo antepofito, sive excepto præstare tenetur, *dict. Tit. 99. in extraord. capit. junct. Tit. 52. §. Satis bene, lib. 2. feudor.* Unde patet distributionem hanc non esse ex forma feudi, quod tamen

Vul-

Vultejus *lib. 1. de feud. cap. 8. num. 20.* & Obrechtus *disputat. de feudis secunda thesi 136.* existimant, sed extructam ex feudi adjuncto, sive accidente: quippe cum arctior illa Vasalli obligatio à pacto investituræ pendeat, & feudum sit, licet Vasallus tam arctè non fuerit obligatus.

70 Quia autem ex feudo ligio fidelitas debetur contra omnem hominem nullo anteposito, consequens est, feudum ligium ab eo solo concedi posse Domino, qui non recognoscit superiorem, *Bald in præludʼ feud. nu. 52. Alvarot. in prælud. feud. divis. 13. & Iason in prælud. feud. num. 106.* qualis est Imperator, & Pontifex Romanus, Rex item Hispaniæ, Rex Galliæ.

De Pontifice Romano *est textus in Clement. Pastoralis, §. Quod si punitio vers. Rursus, Titul. de sentent. & re judic.* Alius Princeps in Imperio Romano inferior Imperatore, tale feudum concedere non potest: siquidem contra Imperatorem & Regem Romanum eiusmodi Princeps fidelitatem à suo exigere Vasallo neutiquam possit, *Tit. 7. in prin. ibi, Excepto Imperatore, vel Rege, & Tit. 55. in fin. ibi, sancimus, ut in omni sacramento fidelitatis Imperator nominatim excipiatur, lib. 2. feud.*

Similiter qui ligium adquirere vult feudum, licet ab alio possidere feudum possit non ligium, ut evincitur ex textu *in dicta. Clement. Pastoralis, §. Denique, junct. §. seq. vers. Rursus:* Attamen ligium ab alio etiam Domino tenere feudum neutiquam potest: cum ligius homo duorum neutiquam esse possit, nisi feudum unum ligium jure successionis postea sit adeptus, *per text. in dict. Tit. 99. in extraord. capit. & Tit. 52. §. Satis bene lib. 2. feudor.*

71 Nunquid autem consuetudine recipi potest ut quis Vasallus sit ligius duorum diversorum Dominorum, à quo utroque etiam diversa possideat feuda ligia? Doctores quidem ita volunt, Guido Papæ *quæst. 310.* Molin. *in consuetud. Paris. Tit. 1. §. 1. gl. 5. nu. 6.* & Menoch. *consil. 2. numer. 26.* Quinetiam Contius *Tractat. de feud. cap. de division feudor.* scribit, posse aliquem ligium esse Domini summam potestatem habentis. Verum hanc consuetudinem nulla ratione tueri facilè possumus. Qui enim ligius dici posset Vasallus, si uni Domino contra alterum servire nequeat: eo quod etiam huic alteri est ligius, & ligium feudum sit illud, ex quo contra omnem hominem, nullo anteposito, nullo excepto, fidelitas est præstanda.

Domi-

Dominus quoque Vulteius de hiſce moribus an recipiendi ſint, necné, dubitat, *dict. capit. 8. num. 31.* Et Dominus Ocrechtus conſuetudinem hanc planè improbat, *in dict. diſputation. de feudor. ſecunda, theſ. 151. & ſeq.*

Sed quæritur, num exprimi nominatim in inveſtitura neceſſe ſit, ut feudum ſit ligium? 72
Cum ſchradero, *tractat. feudali, partic. 2. capit. 4. num. 2. & ſeq.* contra Doctores nego. Ex ipſo enim tenore inveſtituræ, an ligium feudum ſit, ſatis apparet, cum juret Vaſallus fidelitatem contra omnes homines nullo antepoſito.

Vocatur in quæſtionem & illud, an refutari poſſit feudum ligium, nec ne? Doctores negant, ſed malè. Generaliter enim dicitur *in Tit. 38. in fin. lib. 2. feudor.* quod Vaſallus etiam ſine Domini voluntate feudum refutare poſſit. Et quoties feudum in uno alteratur, naturam ſuam propriam in cæteris omnibus retinet, *dict. Tit. 48. verſ. Sed qualitercunq. ubi feudiſta lib. 2. feudor.* 73

Ex quo feudamento erroris quoque arguitur eorum opinio, qui volunt, in ligium feudum ſuccedere quoque fœminas. 74

Non ligium feudum quod ſit, ex definitione ligii feudi ſatis ſuperque cognoſci poteſt: puta ex quo contra quoſdam juvare Dominum ſuum Vaſallus non tenetur; Veluti 75

contra Imperatorem, & Regem Romanum, *dict. Tit. 7. in prin. & Tit. 55. in fin. libr. 2. feudor.*

76 Succedit alia ex adjunctis feudi divisio, qua feudum aliud dicitur novum, aliud vetus feudum, sive beneficium, *Tit 3. in prin. ibi de Veteri beneficio, aut de novo, Titul. 11. §. His verò, ibi, de novo beneficio, item ibi, beneficium defuncti novum esse dicat, Titul. 12. ibi, novum feudum, Titul. 15. ibi, Novum feudum esse, Tit. 26. in princ. Tit. 32. vers. De veteri autem beneficio, libr. 2. feudor. & Tit. 91. de investitura veteris & novi beneficii, in extraord. capit.*

Hanc autem divisionem à causa efficiente repetitam censent Vult. *lib. 1. de feudis ca. 8. num. 4. junct. num. 3.* & Obrechtus *in disputat. de feudor. secunda, thesi 71.* quod non probo: quippe cum novum esse, & Vetus esse, adiuncta feudi qualitas, sive accidens sit non causa feudi: atque hæc qualitas feudo jam suis causis constituto primum accedat, non constituat feudum.

77 Novum feudum est, quod Vasallus possessor ipsemet primum, vel novâ investiturâ, vel præscriptione adquisivit, *Tit. 8 §. ult. ibi, Hæc de feudo paterno li. 1. feud.* In alio verò feudo, quod habet initium tantum à fratribus, *libr. 1. feudor.* Quo loco paterno feu-

do opponitur feudum, quod initium habet à fratre, feudi ſcilicet poſſeſſore primo. Omne autem paternum feudum eſt vetus feudum, cum vetus feudum ſit genus, & eius ſpecies paternum feudum, ut poſt oſtendam. Eſt itaque illud feudum novum, quod initium habuit à feudi poſſeſſore primo, vel ex nova inveſtitura, vel preſcriptione, Id quod liquet etiam ex textu *in Titul. 32. §. Novam inveſtituram, junct. § ſeq. & Titul. 26 §. Si quis per triginta, libr. 2. feudorum.*

Vetus feudum eſt, quod ab alio primitùs adquiſitum Vaſallus ex ſucceſſione poſſidet *Tit. 32. § De veteri autem beneficio, libr. 2. feudor.* quo loco licet & illud vetus dicatur feudum, de quo Domini concedentis ſucceſſor inveſtivit Vaſallum, quamvis in perſona Vaſalli novum ſit feudum, attamen ut feudum novum ſit, aut vetus, in primis Vaſalli perſonam hic ſpectamus. 78

Eſt autem vetus feudum triplex: Paternum, maternum, & extraneum. De paterno & materno feudo eſt textus *in Titul. 15. ibi, ad beneficium vocantur paternum, non maternum, libr. 1. feudor.* De extraneo feudo, ut quod ex pacto inveſtituræ à fratre primo adquîrente ad fratrem, vel quem àlium eius agnatum pervenit, eſt text. *in Titul. 1. §. Cum verò Conradus, verſ.* 79

Quod

Quod etsi communiter, Titul. 14. §. Si duo fratres, libr. 1. feudor. & Titul. 18. libr. 2. feudor.

80 Interpretes quidem veteres & recentiores plerique paterno feudo opponunt feudum antiquum. Et paternum dicunt, quod adquisitum est, vel à patre, vel avo, vel proavo, ve abavo Vasalli: Antiquum vocant quod est adquisitum ab aliquo parente, qui est ultra abavum, Ant. Cont. *de feud. cap. de divisionib. feudor.* Duar. *in commentar. in usus feudor. cap. 4. num. 10.* Wesenb. *tractat. de feud. cap. 2. num. 6.* Johan. Borcholt. *de feud. cap. 4 num. 2.* At malè, tum quia vetus & antiquum feudum est idem feudum, quamvis feudi antiqui in libris feudorum nusquam mentio fiat, sed quod est antiquum semper vetus appelletur feudum. Sed paternum feudum est vetus feudum, siquidem feudo novo opponatur, *Tit. 14. §. Si duo lib 1. feud. Titul. 11. §. His verò, vers. Si verò Dominus, Tit. 12. in prin. Tit. 14. vers. Lis est, Tit. 15. vers. Nunc quidam, junct. vers. seq. Tit. 26. in princip. lib. 2. feudor.* Non ergo antiquũ feudum specie differt à feudo paterno; tum etiam quia vetus feudum dicitur paternum feudum etiam in Vasallo, qui à primo adquirente est quinto, sexto, vel ulteriore gradu, textus est *in Tit. 50. in prin. vers. Ex latere omnes & §. 1. lib. 2. feud.*

Displi-

Displicet quoque isthæc distinctio Egui. Baroni ad *Tit. 8. §. 1. lib. 1. feudor.* Vult. *lib. 1. de feud. cap. 8. nu. 5. in fin.* & Domino Obrechto *in disputat. de feud. tertia, thesi 73.*

Nihil juvat interpretum opinionem text. *in Tit. 8. §. ult. ibi, usque ad quartum gradum, hoc ideo, quia postea non vocatur feudum paternum, lib. 1. feudor.* Eo enim loco proponitur jus antiquum, ultra quartum gratum successorem feudalem non admittens, quod jus confestim in versic. sequenti corrigitur, & evidentius *in dict. Tit. 50 in prin. vers. Ex latere, junct. §. 1. lib. 2 feudor.*

Est autem paternum feudum, quod à patre primo adquirente ad eius liberos jure successionis provenit, *Tit. 11. §. His deficientibus, vers. Quod ita, Tit. 50. §. paternum lib. 2 feudor.* Et dicitur paternum proindeque vetus, sive antiquum feudum etiam in persona primi successoris, ut si filius ex successione possideat feudum à patre adquisitum, *Tit. 15. vers. Et si ipsa fœmina, libr. 1. feudor. & Tit. 52. §. Satis benè, lib. 2. feudor.* 82

Maternum feudum est, quod à matre primò adquisitum ad eius liberos jure successionis pervenit, *dict. Tit. 15. vers. Et si ipsa fœmina, lib. 1 feudor.* 83

Interpretes huius feudi non meminerunt, quando feudum dividunt in novum, paternum, & antiquum feudum; Sed hanc speciem 84

non

non omittendam esse arguit abundè tum textus *in dict. Titul. 15. vers. Et si ipsa, libr. 1. feudor.* tum quòd in paternum feudum fœminæ non succedunt, etiam deficientibus masculis; nisi pacto investituræ id nominatim fuerit cautum, *Titul. 8. §. Filià verò libr. 1. feudor.* Ad maternum verò feudum etiam liberi fœminei sexus admittantur deficientibus masculis; *dict. Titul. 15. lib. 1. feudor. & Titul. 30. in prin. libr. 2. feudor.*

85 Extraneum feudum voco, quod ex pacto investituræ ab adquirente primo; ad eius agnatum ex latere junctum, puta fratrem, aut fratris filium, pervenit. Etsi feudum novum ad agnatos primi adquirentis non pertineat, sed primo adquirente sine filiis mortuo, ad Dominum revertatur; Attamen pacto investituræ effici potest, ut feudum hoc etiam ad collaterales, puta fratres transeat, *Tit. 1. §. Cum verò Conradus, Tit. 14 §. Si duo fratres, lib. 1. feudor. & Tit. 18. libr. 2. feudorum.*

Feudum autem hoc in successoris persona novum dici nequit, cum ipse successor non sit primus adquirens, sed ante eum, alius id possiderit, puta frater, aut patruus, à quo mortuo successionis jure accepit.

Quia

Quia autem neque paternum est, neque maternum, aliud ei nomen insigniri debet, & non absurdè extraneum appellari hoc feudum in persona successoris autumo, *arg. §. Sed hodie, Instit. de adopt.* Ubi extranea persona dicitur omnis, quæ non est parens.

87 Sed quæritur, sitne feudum novum, vel paternum, quod Vasallus precio feudi antiqui venditi comparavit? Et novum hoc esse feudum ex eo evincitur, quod precium non succedit in locum rei, puta in locum feudi venditi, *l. 3. Cod. In quib. causis pig. vel hypoth. tec. contrah. l. Quamvis 48. §. ult. ff. de furtis l. Fundum 28. ff. de novat.* Ut nec res in locum precii succedit, *l. Ex pecunia 12. C. de jure dot. l. Si ea 6. C. de rei vindicat.*

88 Dubitari quoque posset de feudo paterno, quod Vasallus ob feloniam amisit, ex gratia verò Domini ex consensu agnatorum redditum est ipsius filiis? Et hoc novum esse feudum in personis filiorum arguit text. *in Titul. 45. vers. Licet alterum, & Titul. 54. libr. 2. feudor.* & facit text. *in l. Sed si. 5. ff. de precario, Vide* Schrad. *Tractat. feudor. part. 2. capit. 3. num. 43. & sequent.*

Idem

89 Idem judicandum de feudo paterno tempore, vel generatione, ad quam datum fuit, finitum, & reversum ad Dominum, ab hoc tamen agnatis redditum, *arg. d. l. Sed si, 5. ff. de precario, & l. Inter 83. §. Sacram, vers. Sed si usque ad arnam. ff de verb. oblig.*

90 Quid verò censendum de eo paterno feudo, quod Vasallus Domino suo refutavit, ut de eo filii, puta Sejus, & sempronius vicissim investirentur? nunquid in personis filiorum hoc feudum est novum, ita ut uno filio Sempronio mortuo sine herede legitimo, eius pars ad Dominum revertatur, non ad Sejum fratrem pertineat? Et paternum adhuc feudum illud esse cautum est, *in Tit. 14. libr. 2. feudor.*

91 In dubium vocatur & illud, sitne paternum, vel novum feudum, quod primo adquirenti jure feudi paterni est concessum? Et novum hoc esse feudum non paternum ex eo patet, quod hominum denominatio rerum substantiam, & veritatem non immutat, *l. si forte 8. ff. de castr. pecul. l. Si quis 5. §. Meminisse, ff. de agnosc. & alend. lib. l. Non epistolis 13. l. Non nudis 14. C. de probat.* Propter pactum tamen illud feudum hoc paterni feudi effectum & vim obtinet. *Mynsing. cent. 4. observat. 84. & cent. 6. observat. 6. observat. 18. num. 1.* Andr. Geil. *lib. 2. observ. 50.* tum quia mortis causa donatio, ita facta, ut nullo

nullo casu revocetur, licet revera sit mortis causa donatio, *l. Si alienam 13. §. ult. in fin. ff. de mortis causa donat.* Vim tamen & effectum obtinet donationis inter vivos, *l. ubi ita 27. ff. d. t.* tum etiam quia tenor investituræ servandus est, *Tit. 12. ibi, nisi facta fuerit eo pacto investitura Tit. 18. in fin. & Tit. 48. lib. 2. feudor.* De hoc feudo vide Schrader. *Tractat. feudal. part. 2. ca. 3. num. 64. & seqq.* & Fachinæ. *libr. 7. controversiar. jur. capit. 58.*

Ecclesiasticum tamen feudum novum jure antiqui feudi à prælato dari non potest. Andr. Geil. *lib. 2. observ. 50. num. 1.* Prælatus enim Ecclesiæ non potest conditionem ecclesiæ facere deteriorem, *l. Iubemus 14. C. de SS. Eccles. & c. Cum apostolica extra de his, quæ fiunt à prælatis.*

E contrario quæritur & illud, An Dominus de feudo paterno Vasallum successorem jure feudi novi investire possit, ita ut agnati huius Vasalli in feudum hoc succedere nequeant? Negantem conclusionem Mynsing. *cent. 3. observat. 84* & Andr. Geil. *lib. 2. observat. 83.* veriorem affirmant, & recte quidem in casu, quo Vasallus insciis, & non consentientibus agnatis prædicto tenore de paterno feudo investitus est à Domino, *per text. in Tit. 39. in prin. lib. 2. feudor. & facit etiam text. in Tit. 14. lib. eod feudor.* Cum 93

enim agnatis jus succedendi in feudum cõpetat beneficio primi concedentis Domini & primi adquirentis Vasalli, per textum in *Tit. 14. §. Si capitanei, ibi, Prædicti fratres vel nepotes per investituram patris, & avi in beneficium succedunt, lib 1. feudor.* certè hoc jus quæsitum auferri ipsis invitis non debet, *l. Id quod nostrum 11. ff. de reg. jur.*

94 Quid si dubitetur novum an vetus sit aliquod feudum, quale feudum præsumi debet? De hac quæstione post alios latè agit Menoch. *lib 3. præsumpt præsumpt. 93.* Mascard. *de probat vol. 2. conclus. 771* & Fachinæ. *libr. 7. controvers. jur. cap. 59.* Multum autem refert scire, quale sit feudum, cum defuncto Vasallo sine liberis feudum novum ad Dominum revertatur, Vetus autem feudum ad agnatos pertineat. Quidam autẽ novum, quidam vetus prǽsumi feudum existimant.

Fachinæ. verò *dict. cap. 59.* autumat asserentem partem compelli ad probationem eius, quod affirmat. Deficiente verò probatione jurejurando controversiam esse dirimendam, quod jusjurandũ illi judex deferre debeat, pro quo aliqua præsumptio militat.

Mascard. autem *dict concl. 771. n. 6. & seqq.* & Dominus Obrechtus *in disp. de feudis secunda. thesi 118. & seqq.* post alios quosdam concludunt pro possessore præsumendum esse, & tale putandum esse feudum, quale

esse

esse dicit pars ea, quæ possidet, sive Dominus sive Vasallus sit. Quod si neutra pars possideat, potius antiquum, quam novum præsumi feudum, nisi causa adsit, quæ cessare faciat eam præsumptionem. Tunc enim parti asserenti incumbere probationem.

Cæterum arbitror, quod in dubio præsumendum sit, antiquum sive paternum esse feudum, non feudum novum, *per text. in Tit. 11. §. Si verò Dominus vel alius, li. 2 feud.* etiamsi agnatus, qui feudum dicit paternum, non sit in possessione, quo casu propter hanc præsumptionem in possessione constitui debet, *Tit. 26. in prin. ibi, Agnati in possessione feudi constituendi sunt, lib. eod. feud.* Sed hanc præsumptionem obtinere judico, si de toto feudo sit controversia. Quod si verò contentio sit inter Dominum & agnatum de parte feudi, quam agnatus defunctus possedit, tunc præsumptionem hanc non aliter procedere existimo, quam si possideat eam partem agnatus, vel à morte defuncti eam possederit, *per text. in Tit 4 §. Cum autem quis, & Tit. 12. lib 1 feud.* Si tamen adsit causa, quæ aliud suadeat, vel hoc vel illo casu, cessat hæc præsumptio, *dict. Tit. 11. § ult. vers. Sed scio, lib. 2. feudor.*



INDEX RERVM MEMORABILIVM, QVAE IN HOC TRACTATU CONTINENTUR.

PRIOR NVMERVS PAGINAM, POSTERIOR SVMMARIVM denotat.

A.

velit

Feu-

Ge-

L.

M.

N.


Pa-

P.

R.

Re-

quo



FINIS.